ACTA ET DECRETA

SYNODI PLENARIÆ

EPISCOPORUM HIBERNIÆ

HABITÆ APUD MAYNUTIAM,

AN. MDCCCLXXV.

DUBLINI:
TYPIS BROWNE ET NOLAN.
MDCCCLXXVII.

INDEX.

APPENDIX II.: PAGINA

APPENDIX VIII.: PAGINA

APPENDIX: PAGINA

BREVE PII PP. IX.

AD

ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS HIBERNIÆ.

PIUS PP. IX.

Venerabiles Fratres, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Si quid est, quod luctuosissimo hoc, atque acerbissimo Romanae Ecclesiae tempore animum recreet, reficiatque Nostrum illud sane est, incredibilis, ac veluti unici exempli Catholicorum omnium Antistitum consensus, qui quidquid pati potius, quam officio deesse non dubitantes, instructa veluti acies contra Religionis Nostrae Sanctissimae, atque hujus Beatissimi Petri Cathedrae hostes, proelia Domini proeliaturi, ubique gentium concurrunt. Ac Vos, Venerabiles Fratres, salubri frugiferoque inito consilio de Plenariâ Synodo habenda, quo satius et opportunius gravioribus nobilissimae illius Dominici gregis partis negotiis, collatis sententiis, conspiratisque viribus occurratis, magnum quoque attulistis mœrori nostro levamentum. De quo quidem consilio, simul ac Nobis relatum est Nos illud ex animo commendavimus vehementerque probavimus, et mature cum Venerabilibus Fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, re communicata, de ipsorum consilio, dilecto Filio Nostro Paulo Sanctae Romanae

Ecclesiae Cardinali Cullen nuncupato, Archiepiscopo Dublinensi, eas partes, Apostolica Nostra Auctoritate commisimus, ut, attentis etiam peculiaribus temporis adjunctis, tanquam Delegatus Apostolicus Synodum convocet, eique cum facultatibus praesit necessariis, atque opportunis: pro certo habemus illum se talem in hoc obeundo munere praestiturum, qualem summa ejus prudentiae ac doctrinae laus, egregia pietate cumulata, fore pollicetur. Quae cum ita sint, dum in humilitate Nostra, ferventissimis precibus Datorem luminum Deum oramus, ut Vobis in suo nomine coeuntibus ea suggerat, quae fidelibus curae Vestrae commissis, bene prospere ac feliciter eveniant, Vos, Venerabiles Fratres, hortamur, ut memorato Dublinensi Antistiti, tali aucto munere, quantum in Vobis situm est, obsequamini; factaque ab eodem Synodi convocatione, omnes adsitis, ad tramitem Sacrorum Canonum, nisi legitimo impedimento detineamini. Quamquam vero praefato Antistiti Delegato Apostolico, peculiares a Nobis instructiones idcirco traditae sint, tamen Vos, Venerabiles Fratres, etiam atque etiam monemus ut non modo responsis datis pro gravioribus nonnullis negotiis, quo par est studio, inhaereatis, sed etiam illam curam potissimum in Synodo geratis, ut disciplinam supradictis rescriptis consentaneam atque uniformem per omnes Provincias, singulasque vestras Dioeceses, collatis consiliis constituatis. Porro volumus ac praecipimus, ut Synodi acta et decreta ad Sanctam hanc Apostolicam Sedem transmittantur, ut instituto de more examine, de illis judicium feratur; eaque si e re visum fuerit, Nostra, vel successorum Nostrorum suprema Auctoritate confirmentur ac roborentur. Haec statuimus, volumus, mandamus, decernentes praesentes Nostras Litteras firmas, validas, et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, atque obtinere, atque ab iis ad quos spectant, inviolabiliter observari; sicque in

praemissis per quoscunque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, Sedis Apostolicae Nuncios, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de Latere Legatos, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo, ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, ut praesentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae Ecclesiastica in dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die xxx Maii MDCCLXXIII. Pontificatus Nostri Anno Vicesimoseptimo.

F. Card. Asquinius.

LOC. ✠ SIG.

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis atque Episcopis Hiberniae gratiam, et communionem Sedis Apostolicae habentibus.

BREVE PII PP. IX.

AD EMUM ET RMUM PAULUM CARD. CULLEN.

PIUS PP. IX.

DILECTE FILI NOSTER, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Ex Apostolici officii munere, quod humilitati nostrae commisit Altissimus, nihil Nobis est potius, quam ut ea, quacunque ope possumus, procuremus quae Catholicae rei fauste, feliciter, ac prospere eveniant. Itaque simul ac relatum est Nobis, Venerabiles Fratres Episcopos Hibernenses consilium iniisse celebrandi consueta Synodali forma plenarium totius istius nationis conventum quo gravioribus Ecclesiasticis negotiis et catholicae praesertim institutioni, opportune provideatur; Nos salubre ac frugiferum hujusmodi consilium ex animo commendantes, et summopere approbantes, cum Venerabilibus Fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei propositis, rem communicare maturavimus, omnibusque rei momentis attente consideratis, seduloque perpensis, de eorum consilio in eam sententiam devenimus, ut istius Synodi convocandae et regendae munus tibi, dilecte Fili Noster, demandaremus, pro certo habentes, Te prae ea, qua in exemplum commendaris prudentia, gravitate, doctrina, consilio, et Catholicae Religionis provehendae studio, in obeundis hujus muneris partibus expectationi Nostrae cumulatissime responsurum. Quo autem praedictum munus navius nitidiusque fungaris, de memoratorum

Venerabilium Fratrum Nostrorum consilio, hisce Literis, Delegatum Apostolicum Synodi convocationi ac celebrationi perficiendae, Apostolica Nostra Auctoritate Te eligimus, constituimus ac renunciamus; Tibique idcirco singulas universasque facultates necessarias atque opportunas deferimus, tribuimus, atque impertimus. Quae cum ita sint, tuum erit potissimum, tum instructiones a praefatorum Venerabilium Fratrum Nostrorum Congregatione pro Synodi celebratione traditas, aeque ac decreta et rescripta ab hac Sancta Sede Apostolica, vel a dicta Congregatione alias edita, praesertim pro gravioribus negotiis istius regionis exequenda, curare; tum studere, ut disciplina ejusmodi in praxi servanda admittatur, quae sit et suprascriptis decretis consentanea et uniformitatem per omnes provincias ac dioeceses inducat. Porro volumus ut Synodi acta et statuta ad Sanctam hanc Sedem Apostolicam transmittenda cures ut examini subjiciantur, ac si visum fuerit opportunum Nostra aut Successorum Nostrorum auctoritate confirmentur. Haec volumus, statuimus, praecipimus, decernentes praesentes Nostras Literas firmas, validas, et efficaces semper existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, atque ab iis ad quos spectant, inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscunque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, Sedis Apostolicae Nuncios, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere Legatos, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari ac definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, Benedicti XIV. Praedecessoris Nostri recolendae memoriae super divisione materiarum aliisque

Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et Synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, ut praesentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae Ecclesiastica in dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die xxx. Maii MDCCCLXXIII. Pontificatus Nostri Anno Vicesimoseptimo.

F. Card. Asquinius.

LOC. ✠ SIG.

Dilecto Filio Nostro Paulo S.R.E. Presbytero Cardinali Cullen nuncupato, ex concessione, ac dispensatione Apostolica Archiepiscopo Dublinensi atque Hiberniae Primati.

EPISTOLA EM̃I ET RM̃I CARD. BARNABÒ,

PRAEFECTI S. CONG. DE PROPAGANDA FIDE,

AD EM̃UM ET RM̃UM PAULUM CARD. CULLEN.

EM̃E ET RM̃E DOMINE MI OBM̃E.

HUIC insertas folio mitto ad Eminentiam Tuam Literas Apostolicas in forma Brevis, quibus SSm̃us Dominus Noster Pius PP. IX. munere te auget Delegati Apostolici, ut cum omnibus facultatibus necessariis atque opportunis praeesse valeas Synodo Plenariae quam Sacrorum Antistites istius Regni optimo consilio celebraturi sunt, ad servandam inibi fidem Catholicam atque ad tuendos mores fidelium in magno discrimine ob temporum calamitates constitutos. Addo et alias Apostolicas Literas ad omnes Hiberniae Episcopos datas, quae ad idem negotium sane gravissimum referuntur.

Ut vero Eminentiae Tuae aeque ac laudatis Praesulibus mens SSm̃i Domini nec non Sacri hujus Concilii plane innotescat, circa ea quae in Synodo Episcoporum attentionem sibi prae ceteris vindicare debebunt, quaedam subjiciam per Eminentiam Tuam Concilii Patribus communicanda.

Ac primo quidem Sacrorum Antistitibus prae omnibus cordi erit quidquid ad Catholicam educationem pertinere censuerint, cum in praesentibus rerum adjunctis hujusmodi negotium maximam Episcoporum curam expostulet. Oportet igitur ut Synodus de Scholis parochialibus agat,

quo videlicet pauperum filii ab errorum veneno atque a morum corruptione efficaciter praeserventur. Nec omittendum erit opportunas praescribere normas, ut a juvenibus utriusque sexus Sacramenta Poenitentiae atque Eucharistiae maturo tempore suscipiantur. Insuper singulis Episcopis Concilium inculcare non praetermittet super scholas cleri cum saecularis tum regularis sedulo vigilare, quae educationem coetus medii ac superioris complectuntur; quod quidem potissimum intelligendum erat de disciplina Seminariorum in Dioecesibus existentium, ut videlicet clericorum instructio atque educatio praesentis temporis necessitatibus respondeant. Illud denique curandum erit ut latinae linguae studium regulari methodo inter clericos promoveatur, qua super re prae oculis habenda erit epistola encyclica[1] anni 1868 cujus exemplar hisce adnexum literis inveniet Eminentia Tua.

Ad instructionem vero superiorem quod spectat, apprime commendandum est Episcopis Hibernensibus ut Dublinensem Universitatem Catholicam totis viribus protegant ac tueantur, utque eidem necessariis tum pecuniae tum auctoritatis suae praesidiis opitulentur. Est enim id omnino necessarium cum alia via minime pateat ad impiorum machinationes ac conatus frustrandos, quibus superiorem educationem corrumpere atque ad incredulitatem redigere connituntur. Hinc operae pretium erit omnia quae ad scholas ab acatholicis institutas referuntur discutere, ac praesertim de pravorum librorum ac publicarum ephemeridum abusibus serio tractare ut eorum pericula ac damna quantum fieri poterit caveantur.

Alii insuper abusus iique gravissimi concilii Plenarii curam ac sollicitudinem exigunt, inter quos primus se offert qui lites ac processus attingit a laicis instructos contra ecclesiasticos viros, et (quod pejus est ac vere deplorandum) a sacerdotibus non raro intentatos contra clericos, ipsosque

[1] Vide Append. I. pag. 181.

Sacrorum Antistites, non sine bonorum omnium scandalo atque offensione. Cum autem nulla existat inter Apostolicam sedem ac Gubernium Anglicum conventio, tempus procul dubio esset proponendi aliquam normam a Sancta Sede sanciendam, qua froenum ejusmodi attentatibus quotidie magis in praesenti temporum perversione timendis injiceretur.

A Synodo Thurlesensi plura salubriter statuta fuere, quibus sacramentorum administratio sacrorum canonum disciplinae conformaretur. At vero non pauca adhuc supersunt auctoritate futurae synodi emendanda. Atque ut cetera Episcoporum zelo atque experientiae in concilio indicanda ac corrigenda relinquam, de baptismate aliquid innuam ac de matrimonio. Pecunia quae occasione horum sacramentorum non acceptari tantum sed omnino exigi generatim perhibetur, sane non potest quin scandalum ac non raro simoniae notam clericis inurat. Relatum non semel est sacrae huic congregationi ante matrimoniorum celebrationem passim a Parochis sponsarum dotem taxari, habita scilicet ratione ipsius, ita ut non raro vel ingens summa librarum sterlingarum solvenda exigatur tanquam conditio sine qua matrimonio sacerdotis adsistentia denegetur. Atqui hujusmodi agendi ratio non paucos retrahit a matrimoniis contrahendis, atque eam de sacerdotibus in laicos ingerit opinionem, ut nisi tanta Hibernensis populus praestaret pietate ac religione, maxime timendum foret ne ipsa illius fides detrimentum pateretur.

Haec et similia defectui ecclesiastici spiritus in non paucis e clero tribuenda sunt, quod quidem in sententia virorum omni exceptione majorum, atque in Hibernensibus rebus peritorum ab imperfecta seminariorum directione est repetendum. Non defuerunt clerici Hibernenses, in majoribus istius Regni Collegiis instituti et, alumni dum essent, habiti tanquam optimi, qui satis superque ostende-

runt se non solum spiritu ecclesiasticae vocationis sed vel ipsa notione obligationum sui status esse destitutos. Constat pariter de seminariis iisque ex Majoribus, dimitti clericos tempore vacationum, ipsosque sibi relictos in civitatibus aliquot menses versari non sine periculis ac morum naufragio. Hi vero postea in seminaria redeunt atque ad sacros ordines promoventur. Nil igitur mirum si tales non raro in Hibernia vel in exteris Hibernensium missionibus inveniantur sacerdotes, qui immemores officii sui in destructionem potius laborant quam in aedificationem. Quae cum ita sint, mens est Sanctitatis suae ut Episcopi in Synodo collecti videant in Domino quid in rem fieri oporteat, et si quae sint suprema auctoritate roboranda, ea Sanctae Sedi proponere ne praetermittant.

Insuper non pauci per Hiberniam queruntur laici de avaritia clericorum, quod videlicet ab eis plus aequo graventur dum non desunt sacerdotes qui volunt divites fieri aut qui ingentes etiam divitias congesserunt. Porro Episcopi Hibernenses in re tam gravi minime negligentes se praebuerunt; at multo majora ab eorum studio ac vigilantia expectantur. Curandum igitur ut ad tramitem aequitatis determinatae normae statuantur circa id quod sacerdotes titulo honestae sustentationis exigere possunt atque ubi ejusmodi normae praescriptae jam sunt, nihil omittendum ut adamussim observentur. Verumtamen ut malum de quo agitur in radice curetur, necesse est ut in clericos rectus sentiendi modus inducatur, quod a spirituali eorum cultura atque institutione potissimum pendet. Annua hinc exercitia spiritualia a sacerdotibus obeunda, sed praesertim in seminariis ecclesiasticis spiritus infundendus. Item in ordinandis non ingenium tantum atque doctrina sed etiam ac praesertim innocentia vitae atque aeternae salutis studium quaerenda sunt.

Illud denique commendandum ut ab Episcopis oppor-

tunae sanciantur regulae, quibus periculum devitetur ne laici ecclesiasticis bonis jure civili potiantur, morientibus sacerdotibus: item ut sacri Pastores in Synodo coadunati sedulo cogitent coram Domino de aliis omnibus quae experientia duce ad tutelam fidei, ad bonos mores promovendos, ad religionem amplificandam pertinere censuerint, quo nimirum omnibus prouti divina gloria ac salus animarum postulant, consulatur.

Haec ad mentem SSm̃i Domini Nostri Eminentiae Tuae significanda habebam, atque interim manus tuas humillime deosculor.

Romae ex aed. S. Cong[is.] de P[da.] Fide die 2 Junii 1873.

Eminentiae Tuae

Humillimus atque addictissimus famulus verus,

Al. Card. Barnabo, Pr.

Pro R. P. D. Secretario absente,

Achilles Can[us]. Rinaldini, S. Cong[is.] Officialis.

P.S.—Mitto ad Eminentiam Tuam exemplar literarum[1] quas die 9 Junii 1863, scribendas putavi super morientium adsistentia per sacerdotes promovenda, ut videlicet etiam hujus rei in futura Synodo habeatur ratio.

[1] Vide Append. XXV. pag. 348.

EDICTUM CONVOCATIONIS SYNODI.

PAULUS,
TIT. S. PETRI IN MONTE AUREO, S. R. E. PRESBYTER,
CARDINALIS CULLEN,
MISERATIONE DIVINA ET SEDIS APOSTOLICAE GRATIA ARCHIEPISCOPUS DUBLINENSIS, HIBERNIAE PRIMAS, ETC., ETC.

VENERABILIBUS ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS HIBERNIAE, SALUTEM IN DOMINO.

CUM duobus circiter abhinc annis Episcopi Hiberniae in conventu Dublini habito certiorem Sacram Congregationem de Propaganda Fide fecissent sibi in votis esse ut plenaria hujus regionis Synodus celebraretur, Sm̃us Dn. N. Pius PP. IX. eorum desiderio annuendum existimans, litteris apostolicis die trigesimo Maii, 1873, datis, potestatem nobis contulit ut ejusmodi Synodum convocaremus, eique ut delegatus Apostolicus præessemus. Exemplaria earum litterarum typis edita ad omnes Episcopos jamdiu misimus; verum plurimis rerum adjunctis impediti Synodum diu optatam antehac non potuimus convocare. Nunc vero remotis omnibus quae obstabant, potestate nobis ab Apostolica Sede benigne concessa utentes Synodum plenariam omnium Hiberniae Archiepiscoporum et Episcoporum indicimus inchoandam die decimoseptimo Augusti proxime venturi in collegio Maynutiano et sequentibus diebus prosequendam donec ad finem perducatur. Caeterum venerabilibus Hiberniae praesulibus, quorum cor unum et anima una est, occasionem haec Synodus praebebit qua opus viginti quinque abhinc annis magno cum fructu a Synodo Thurlesiana incoeptum prosequantur et compleant, abusus in disciplina ecclesiastica si qui irrepserint corrigant, ecclesiae jura tueantur, Catholicam soli-

damque juventutis institutionem vindicent et promoveant, et alia peragant quae ad salutem animarum, bonumque Ecclesiae procurandum apta videantur. Inter quae illud etiam curandum ut omnibus sapientissima Vaticani Concilii decreta nota fiant et ab omnibus observentur.

Haec vero ut rite perficiantur, Illustrissimos et Reverendissimos Archiepiscopos et Episcopos Hiberniae rogamus et requirimus ut cum suis theologis e clero seculari vel regulari selectis, ad Synodum hanc veniant, aut, si ipsi legitime impediti sint, procuratores mittant. Eos etiam vehementer hortamur ut, diligenter rerum nostrarum ecclesiasticarum conditione ad examen vocata, si quid corrigendum, aut immutandum inveniant illud adnotent ut postea in Synodo Episcoporum judicio subjici possit.

Praeterea eosdem Reverendissimos Praesules rogamus ut omnibus qui Synodo plenariae de jure vel consuetudine adesse debent aut possunt, ejus indictionem notam faciant, ut singuli jure suo utantur.

De caetero, cum in vanum laborant qui aedificant domum nisi Dominus aedificet eam, rogamus et adhortamur pientissimos Praesules et omnem clerum ac populum ut suis orationibus nos et omnes qui Synodo intersint adjuvent, Deum optimum Maximum assidue obsecrantes ut nobiscum sit et nobiscum laboret, ut mentes illuminet, corda succendat, utque actus et operationes bene incoeptas feliciter ad exitum perducat, et divina sua potentia efficiat ut nostris consiliis pietas promoveatur, ecclesiastici ordinis decus augeatur, fides firmetur et opera Christianae pietatis et charitatis magis magisque abundent ut ii qui foris sunt ea videntes, glorificent ecclesiam Catholicam ejusque divinam originem intelligant.

Datum Dublini die 2 Julii, anno 1875.

✠ Paulus Cardinalis Cullen,
Archiepiscopus Dublinensis, Hiberniae Primas.

N.B. Aliis litteris ejusdem tenoris Synodus prorogata est in diem 31 Augusti ejusdem anni.

EPISTOLA

PATRUM SYNODI MAYNUTIANAE, AD SS. DOMINUM PIUM PP. IX.

Beatissime Pater,

Plenariam totius nostrae gentis Synodum ex Beatitudinis Tuae auctoritate celebrantibus inter primas nostras curas est ad Tuos sacros pedes provolutis Benedictionem Tuam pro nobis et gregibus nobis commissis enixe flagitare. Si enim justum et congruum est ut unde Unitas sacerdotalis orta est huc ex omnibus nationibus sacerdotes Domini concurrant, multo magis nunc decet Hiberniam nostram ad Te, Beatissime Pater, accedere, et ad Sanctam Sedem Apostolicam venire. Super istius namque petrae soliditate fundati praedecessores nostri domum fidei in hac insula aedificarunt: quapropter domus illa non cecidit, licet per tercentum fere annos pluvia descenderit et venerint flumina et venti flaverint et irruerint in domum illam.

Nox tamen ista praecessit, nox scilicet persecutionum, et aerumnarum, quando fideles ludibria et verbera experti sunt, insuper et vincula et carceres, egentes, angustiati, afflicti, quando sacerdotes Domini in solitudinibus errabant in montibus et speluncis et in cavernis terrae.

Dies autem appropinquavit; et post caliginem diuturnam, magnam gloriam domus istius novissimae fere plusquam primae nos conspicimus. Scilicet nos licet indigni, in exultatione metimus quae patres nostri, in lacrymis seminaverunt. Deo igitur agendae sunt gratiae pro sedata procella et salute concessa: Tibi vero, Petre, gubernatori navis, gratulari etiam debemus. Patres fidei nostrae per totam illam noctem laboraverunt remigando,

erat enim contrarius ventus: Petrus vero semper cum eis erat: ipse semper aderat ad confirmandos fratres suos; navis gubernaculum ipse tenebat et portae inferi non praevaluerunt adversus eum.

Nunc vero super Te, Beatissime Pater, et super Urbem Sanctam Tuam, Romam, venit procella. Maximopere igitur decet nos qui vocem Praedecessorum Tuorum consolantium nos tam frequenter tempore angustiae nostrae audivimus, nunc in diebus afflictionis Tuae ad Te venire, ut filii ante patrem optimum verba doloris simul et solatii profundamus.

Imo caelum et terram testes invocamus perfidiae inimicorum Tuorum simul autem, Beatissime Pater, invictae fortitudinis Tuae. Scilicet fremuerunt gentes et principes terrae convenerunt in unum adversus Te; sed qui habitat in caelis irridebit eos et Dominus qui tribuit Tibi fortitudinem subsannabit eos. Jam ultra dies Petri ad regendam Ecclesiam suam mirabilis Providentia Te servavit. Faxit ut brevi tempore inimicos Tuos ad frugem meliorem revocet, aut certe humiliare et ad nihilum redigere dignetur. Namque jure meritoque inter pessimos Dei et hominum hostes recensendi sunt inimici Tui, qui optimi Patris monita spernentes gravia morum principia convellere cupiunt, et ipsius benignissimi Creatoris nomen blasphemant, imo de medio tollere gestiunt.

Contra haec errorum monstra Apostolicam vocem Tuam, Beatissime Pater indesinenter attollis, et ideo oderunt Te gratis, Nos vero filii Tui surreximus et Te Beatissimum praedicamus.

Beatus es quia caro et sanguis non revelavit Tibi; sed Pater qui in caelis est. Super hanc petram aedificatam Ecclesiam scimus. Bellabunt adversum Te inferorum portae et non praevalebunt "quia ego Tecum sum, ait "Dominus, ut liberem Te."

Igitur acta nostra principium sumpserunt a confessione privilegiorum quae Tibi in persona Beati Petri contulit Deus, et quae Concilium Oecumenicum Vaticanum tam fauste a Te incoeptum tam infeliciter interruptum definivit. Decreta sacrosanctae illius Synodi toto corde amplexi sumus, praesertim autem infallibilitatem Romani Pontificis ex cathedra docentis ore consono et pleno corde professi sumus. Ut fideliter a clero et christiano populo curis nostris commisso teneantur quae definita fuerunt ab Ecclesia " quae est columna et firmamentum veritatis " in illo Concilio sub Te coadunato pro viribus et indesinenter efficere conabimur.

Caeterum plenariae hujus Synodi munus etiam existimamus, novas Beatitudinis Tuae grates exhibere propter definitionem dogmatis catholici de Immaculato Virginis Mariae Conceptu: quatenus post ultimum Concilium Plenarium in ista regione celebratum exiit supremum et infallibile Sanctitatis Tuae decretum, plaudente toto orbe catholico. Nos vero qui talem ac tantam sub isto Immaculatae Conceptionis titulo gaudemus Hiberniam nostram habere Patronam, Tibi, Beatissime Pater, specialiter devincimur, qui novissimum illud gloriae sertum Deiparae texuisti.

Decreta istius nostrae Synodi fidem tuendam, disciplinam stabiliendam, pietatem ac charitatem fovendam respiciunt, necnon Catholicam Universitatem quam Beatitudo Tua iteratis vicibus nobis tantopere commendavit.

Antequam haec decreta in lucem veniant et vim suam assequantur opus est ut Sanctitas Tua ea dignetur vel approbare, vel si opus fuerit, mutare et reformare. Quapropter acta Concilii istius nostri plenarii ad Sanctam Sedem Apostolicam cum filiali obedientia transmittimus, suppliciter postulantes ut ea vel confirmata vel emendata ad nos dignetur remittere.

Ad pedes Sanctitatis Tuae provoluti omni obsequio et veneratione benedictionem Apostolicam pro nobis et gregibus nobis commissis enixe petimus.

Datum in Synodo Plenaria apud Maynutiam hac die 20 Septembris, 1876.

Sanctitatis Tuae
Humillimi et Devmi filii et famuli,

✠ Paulus Cardinalis Cullen, Archiepiscopus Dublinensis, Hiberniae Primas, Delegatus Apostolicus et Synodi Praeses.
✠ Daniel, Archiepiscopus Armacanus, totius Hiberniae Primas.
✠ Joannes, Archiepiscopus Tuamensis.
✠ Thomas Guillelmus, Archiepiscopus Casseliensis.
✠ Guillelmus, Episcopus Corcagiensis.
✠ Franciscus, Episcopus Derriensis.
✠ Fr. Joannes Pius, Episcopus Dromorensis.
✠ David, Episcopus Kerriensis.
✠ Thomas, Episcopus Fernensis.
✠ Laurentius, Episcopus Elphinensis.
✠ Michael, Episcopus Rossensis.
✠ Joannes, Episcopus Galviensis.
✠ Georgius, Episcopus Limericensis.
✠ Patritius, Episcopus Dunensis et Connorensis.
✠ Thomas, Episcopus Midensis.
✠ Nicolaus, Episcopus Kilmorensis.
✠ Georgius, Episcopus Ardacadensis et Cluanensis.
✠ Jacobus, Episcopus Clogherensis.
✠ Patritius, Episcopus Clonfertensis.
✠ Jacobus, Episcopus Rapotensis.
✠ Franciscus, Episcopus Achadensis.

✠ HUGO, Episcopus Alladensis.

✠ PATRITIUS FRANCISCUS, Episcopus Ossoriensis.

✠ JOANNES, Episcopus Waterfordiensis et Lismorensis.

✠ JOANNES, Episcopus Cloynensis.

✠ JACOBUS, Episcopus Arcadiopolitanus et Coadjutor ac Procurator Episcopi Kildariensis et Leighlinensis.

✠ JACOBUS, Episcopus Echinensis et Coadjutor ac Procurator Episcopi Laonensis.

✠ FRATER BRUNO, Abbas Cisterciensis de Monte Melleario.

LITTERAE PII PP. IX.

AD

ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS HIBERNIAE.

PIUS PP. IX.

DILECTE FILI NOSTER ET VENERABILES FRATRES, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

PERLATAE ad Nos fuerunt litterae vestrae amantissimae una cum decretis Plenariae Synodi a Vobis celebratae, quae auctoritati Nostrae Apostolicae obsequentissimo, ut par erat, animo subjecistis. Nos confestim ea decreta Congregationi Nostrae Fidei Propagandae praepositae expendenda commisimus, quae opportunum Vobis dabit suo tempore circa illa responsum. Interea facere non possumus, Dilecte Fili Noster, et Ven. Fratres, quin nostrum erga Vos studiosissimum animum hac epistola declaremus. Id enim a Nobis omnino postulant, tum optimi illi et nobilissimi sensus dilectionis litteris vestris consignati, et pia omina ac vota illis adjuncta, quibus afflictiones Nostras solari studuistis, tum egregius zelus quo Vos incensos pro Dei et Religionis gloria cognoscimus, tum obsequium ac testificatio devotae voluntatis, qua Nobis et huic communi omnium Ecclesiarum Matri et Magistrae Romanae Sedi, Vos firmiter devinctos esse confirmastis. Haec Nos perlegentes in litteris vestris consolatione repleti sumus, atque justum putavimus ut per hanc

epistolam certum et sincerum testimonium nostrae erga vos caritatis invicem praeberemus. Non omittimus autem hac occasione Vobis animos addere, ut omni zelo vigilantes super creditas Vobis Dominicae vineae partes plantetis, rigetis in spe ac patientia, abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino, ac omnia ad Ejus gloriam referentes qui operatur in Vobis et velle et perficere pro bona voluntate, quique sperantes in se confundi non patietur. Ad Nos quod attinet persuasum habetote auctoritatem et studia nostra nunquam, quantum cum Domino poterimus, esse Vobis defutura. Demum Vobis, Dilecte Fili Noster, et Ven. Fratres, novam semper virtutem ex alto implorantes, ut tantam asperitatem temporum feliciter vincere possitis, pignus nostrae praecipuae benevolentiae Apostolicam Benedictionem, cum creditis etiam fidei vestrae ovibus communicandam, peramanter et ex corde impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 22 Januarii A. 1876 Pontificatus Nostri Anno Tricesimo.

PIUS PP. IX.

Dilecto Filio Nostro Paulo tit. S. Petri in Ianic. S. R. E. Presbytero Cardinali Cullen, Archiepiscopo Dublinensi, et Ven. Fratribus Archiepiscopis et Episcopis Hiberniae, Dublinum.

DECRETUM

RECOGNITIONIS CONCILII.

Post elapsum quinque et viginti annorum spatium, ex quo RR. PP. DD. Archiepiscopi et Episcopi Hiberniae Regni Plenarium Consilium habuerant, optandum profecto erat, ut alia id genus Synodus operis promovendi causa, quod Thurlesii incoeptum fuerat, celebraretur. Id animo reputans Em̃us Dominus S.R.E. Card. Paulus Cullen Archiepiscopus Dublinensis in audientia 22 Februarii 1873 a SSm̃o Dño Nostro Pio Div. Provv. PP. IX. veniam hujusmodi conventus ineundi obtinuit; ut autem cuncta rite procederent, Apostolicis literis in forma brevis sub die 30 subsequentis Maii in ejusdem coetus Praesidem praedictus praesul D. Em̃us cum facultatibus necessariis et opportunis deputatus est. Dum vero, S. haec Congregatio instructiones, quae ea super re expediendae videbantur, ipsi de mandato Sanctitatis Suae suppeditabat, aliis literis Apostolicis eadem die et anno reliqui Hibernenses Praesules de universo hoc negotio certiores facti sunt, ut omnes concordi studio, collatisque consiliis suarum Ecclesiarum bono, atque ovium ipsis concreditarum aeternae saluti, meliori qua fieri posset, ratione consulerent.

Quamquam praelaudati Archiepi. atque Epi. nil habeant antiquius, quam ut mandatis S. Sedis obtemperent, nonnullae tamen supervenere difficultates, ob quas optatam Plenariae Synodi celebrationem ad annum usque proxime praeteritum differri oportuit. Postrema itaque die Augusti ejusdem anni convocatum tandem Plenarium Hiberniae Consilium in sacello B. V. M. apud Maynutianum Col-

legium, praesidente Emo D. Cullen, ac tribus solemnibus sessionibus praeter peculiares congregationes die 20 insequentis Septembris ad exitum prospere perductum fuit.

Plura in eo Conventu edita sunt statuta ad catholicam fidem sartam tectamque servandam inter tot, qui serpunt, errores, quaeque circumstant errandi pericula, ad disciplinam ecclesiasticam, quantum quidem sinunt circumstantiae, ordinandam, ad abusus jamdiu invalescentes pro diversa temporum conditione refraenandos.

Cum igitur Synodi acta et decreta ad Apostolicam Sedem transmissa fuissent, ut examini, ceu par erat, subjicerentur, S. hoc Consilium Christiano Nomini propagando praepositum in generalibus comitiis diebus 27 Junii, 3 et 10 Julii c. an 1876 habitis, referente Emo ac Rmo Dno Aloysio S. R. E. Card. Bilio eadem ad trutinam revocavit. Porro S. Congregatio omnibus mature perpensis inductisque nonnullis emendationibus, propositisque variis animadversionibus, quas memorato Delegato Apostolico significari praecepit, Decreta praedicta recognovit, ac proinde voluit, si SSmo placuerit, ut ab omnibus ad quos spectat, executioni amussim demandentur. Quam quidem S. Congregationis sententiam cum subscriptus pro-Secretarius SSmo Dno in aud. 6 Augusti retulerit, Sanctitas Sua in omnibus probare dignata est, eaque de re praesens Decretum expediri jussit, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae ex Aed. S. Congregationis de Propaganda Fide die 1ª Septembris 1876.

ALEX. CARD. FRANCHI, *Praef.*
J. B. AGNOZZI, *P. Secret.*

LOC. ✠ SIG.

ACTA
SYNODI PLENARIAE HIBERNIAE EPISCOPORUM

QUAE HABITAE EST APUD MAYNUTIAM DIE 30 AUGUSTI ET SEQUENTIBUS USQUE AD DIEM 20 SEPTEMB. 1875.

CONVENTUS PRÆLIMINARIS

Die 30 Augusti Feria II.

Hora octava cum dimidio vespertina, in Sacello Sanctae Mariae in Collegio Maynutiano, habitus est Conventus Episcoporum praeliminaris.

Dicta oratione *Adsumus*, Episcopi nominaverunt Promotores Synodi, Illmos et Revmos Episcopos Elphinensem et Rapotensem; Secretarium, Illmum et Revmum Episcopum Ardacadensem et Cluanensem, cui adsisterent RR. DD. Geraldus Molloy, S.T.D., et Guillelmus Walsh, S.T.D.: Caeremoniarium, R. D. Josephum M'Swiggan, cui adsisterent RR. DD. Patritius Josephus Tynan, S.T.D., et Michael Higgins, Presbyter Cloynensis, Scriptorum etiam in Synodo munere functuri.

Deinde dicta Antiphona *Sancta Maria*, Conventus finem accepit.

SESSIO PRIMA.

Die 31 *Augusti Feria III.*

Hora nona cum dimidio ante meridiem convenerunt omnes quotquot ad Synodum advenerant Illmi et Revmi Praesules in Oratorio Sancti Josephi, caeteri autem in aula propinqua memorati Collegii.

Aderant sequentes Praesules :—

Emus et Rmus D. Paulus Cardinalis Cullen, Archiepiscopus Dublinensis, Hiberniae Primas, Delegatus Apostolicus, Concilii Praeses.

Illmus et Revmus D. Daniel M'Gettigan, Archiepiscopus Armacanus, totius Hiberniae Primas.

Illmus et Revmus D. Joannes M'Hale, Archiepiscopus Tuamensis.

Illmus et Revmus D. Thomas G. Croke, Archiep. Casseliensis.

Illmus et Revmus D. Guillelmus Delany, Episc. Corcagiensis.

Illmus et Revmus D. Franciscus Kelly, Episc. Derriensis.

Illmus et Revmus D. Joannes Pius Leahy, Episc. Dromorensis.

Illmus et Revmus D. Laurentius Gillooly, Episc. Elphinensis.

Illmus et Revmus D. Thomas Furlong, Episc. Fernensis.

Illmus et Revmus D. Joannes M'Evilly, Episc. Galviensis.

Illmus et Revmus D. Michael O'Hea, Episc. Rossensis.

Illmus et Revmus D. Patritius Dorrian, Episcopus Dunensis et Connorensis.

Illmus et Revmus D. Georgius Butler, Episc. Limericensis.

Illmus et Revmus D. Nicolaus Conaty, Episc. Kilmorensis.

Illmus et Revmus D. Thomas Nulty, Episc. Midensis.

Illm̃us et Revm̃us D. Jacobus Donnelly, Episc. Clogherensis.

Illm̃us et Revm̃us D. Georgius Conroy, Episc. Ardacadensis et Cluanensis.

Illm̃us et Revm̃us D. Jacobus M'Devitt, Episc. Rapotensis.

Illm̃us et Revm̃us D. Patritius Duggan, Episc. Clonfertensis.

Illm̃us et Revm̃us D. Hugo Conway, Episc. Alladensis.

Illm̃us et Revm̃us D. Franciscus M'Cormack, Episc. Achadensis.

Illm̃us et Revm̃us D. Patritius F. Moran, Episc. Ossoriensis.

Illm̃us et Revm̃us D. Joannes Power, Episc. Waterfordiensis.

Illm̃us et Revm̃us D. Joannes M'Carthy, Episc. Cloynensis.

Illm̃us et Revm̃us D. Jacobus Lynch, Episc. Arcadiopolitanus, in partibus infidelium, Coadjutor et Procurator Episcopi Kildariensis et Leighlinensis.

Illm̃us et Revm̃us D. Jacobus Ryan, Episc. Echinensis, in partibus infidelium, Coadjutor et Procurator Episc. Laonensis.

Rm̃us D. Fr. Bruno Fitzpatrick, Abbas de Monte Melleario.

Aderant quoque sequentes Provinciales Ordinum et Congregationum Religiosarum.

Adm. Rev. D. P. Bartley, Prov. Carmel. Calceat.
„ P. Conway, Prov. Ord. Praed.
„ P. Cooke, Prov. Oblat. Mar. Immac.
„ P. Cosgrave, Prov. Ord. S. Francisci.
„ P. Duff, Prov. Cong. Miss.
„ P. Holland, Prov. Carmel. Discal.
„ P. O'Reilly, Prov. Capuch.
„ P. Walsh, Prov. Ord. S. Aug.
„ P. Walsh, Prov. Soc. Jesu.

Aderant etiam sequentes Procuratores Capitulorum.

Adm. Rev. D. EDUARDUS M'CABE, Vic. Gen., Parochus de Kingstown et Proc. Cap. Dublinensis.

JOANNES LEVINS, Par. de Ardee, Proc. Cap. Armacani.

ULICKIUS BURKE, Praeses Collegii Sti. Jarlathi, Proc. Cap. Tuamensis.

GUALTERUS CANTWELL, Par. de Fethard, Decanus et Proc. Cap. Casseliensis.

HENRICUS NEVILLE, Vic. Gen., Par. Sti. Finbarri, Decanus et Proc. Cap. Corcagiensis.

LAURENTIUS KIRWAN, Par. de Piercestown, Decanus et Proc. Cap. Fernensis.

JACOBUS JOSEPHUS M'MAHON, S.T.D., Vic. Gen., Par. de Carrickmacross, Dec. et Proc. Cap. Clogherensis.

BERNARDUS DURCAN, Vic. Gen., Par. de Swinford, Decanus et Proc. Cap. Achadensis.

ROBERTUS O'SHEA, Par. de Ballyhale, Archidiaconus et Proc. Cap. Ossoriensis.

JOANNES FITZPATRICK, Par. de Midleton, et Proc. Cap. Cloynensis.[1]

Aderant etiam sequentes Officiales :

Promotores
- Illmus et Rmus D. LAURENTIUS GILLOOLY, Episc. Elphinensis.
- Illmus et Rmus D. JACOBUS M'DEVITT, Episc. Rapotensis.

Secretarii
- Illmus et Rmus D. GEORGIUS CONROY, Episc. Ardacadensis.
- Rev. D. GERALDUS MOLLOY, S.T.D.
- ,, GUILLELMUS J. WALSH, S.T.D.

[1] Postea advenerunt Adm. Rev. D ANDREAS HIGGINS, Vic. Gen. Par. de Kenmare, Proc. Cap. Kerriensis, et Adm. Rev. D. JACOBUS REYNOLDS, Par. de Ardagh et Proc. Cap. Ardacadensis.

Cancellarius, Adm. Rev. D. GUALTERUS LEE, S.T.D., Par. de Bray.

Caeremoni-arii, Stenographi	Rev. D. Jos. M'SWIGGAN, Presb. Dublinensis. „ PATRITIUS JOS. TYNAN, S.T.D., Presb. Dublinen. „ MICHAEL HIGGINS, Presbyter Cloynensis.

Aderant insuper sequentes Theologi.

Ex Dioecesi:

Dublinensi—Adm. Rev. D. ED. M'CABE, Vic. Gen. Par. de Kingstown; et Adm. Rev. D. BARTH. WOODLOCK, Rector Univ. Catholicae.

Armacana—Rev. D. PATRITIUS QUINN, par. de Dungannon.

Tuamensi—Rev. D. ULICKIUS BURKE, Praeses Col. Sti. Jarlathi.

Casseliensi—Adm. Rev. D. JOANNES RYAN, S.T.D., Vic. Gen. par. de Ballingarry.

Corcagiensi—Adm. Rev. D. GEORGIUS SHEEHAN, Parochus de Bantry.

Kerriensi—Rev. D. DANIEL M'CARTHY, S.T.D., Vice-praes. Coll. Sti. Patritii, Maynutiae.

Dromorensi—Rev. D. PATRITIUS M'KAY, par. de Clonduff.

Elphinensi—Rev. D. THOMAS M'NAMARA, Praes. Coll. Hib. Parisiis.

Fernensi—Rev. D. EDMUNDUS O'REILLY, e Soc. Jesu.

Galviensi—Rev. D. JACOBUS DIXON, e Cong. Miss.

Rossensi.—Adm. Rev. D. JEREMIAS MOLONY, Vic. Gen. par. de Rosscarbery.

Dunensi et Con.—Rev. D. GEORGIUS CROLLY, S.T.D., Prof. in Coll. Sti. Patritii Maynutiae.

Limericensi.—Rev. D. Robertus F. Whitehead, S.T.D., olim Vice-praeses Coll. Sti. Patritii Maynutiae.

Kilmorensi.—Rev. D. Bernardus Finnegan, Praeses Coll. Sti. Patritii apud Cavan.

Midensi.—Rev. D. Josephus Coyne, Sec. Episcopi Midensis.

Clogherensi.—Rev. D. Petrus Bermingham, S.T.D., par. de Castleblayney.

Ardacadensi.—Adm. Rev. D. Nicolaus O'Flanagan, Vic. Gen., par. de Abbeylara.

Rapotensi.—Rev. D. Joannes M'Devitt, S.T.D., Prof. in Coll. omnium Sanctorum.

Alladensi.—Rev. D. Joannes Conmy, Praeses Seminarii Dioec. apud Ballina.

Achadensi.—Adm. Rev. D. Bernardus Durcan, Vic. Gen., par. de Swinford.

Ossoriensi.—Rev. D. Guillelmus J. Walsh, S.T.D., Prof. Theol. in Coll. Sti. Patritii, Maynutiae.

Waterfordiensi.—Rev. D. Jacobus V. Cleary, S.T.D., Praeses Coll. Sti Joan. apud Waterford.

Cloynensi.—Adm. Rev. D. P. D. O'Regan, Vic. Gen., par. de Mallow.

Laonensi.—Adm. Rev. D. Patritius O'Mailly, Vic. Gen., par. de Nenagh.

Omnibus paratis, Hymnoque *Veni Creator Spiritus* a Cantoribus incoepto, processio inchoata est. Prosequentes Hymnum *Veni Creator Spiritus* atque insuper decantantes Hymnum *Ave Maris Stella,* Psalmosque 80 et 67, ad Ecclesiam Collegii perrexerunt: quam quum ingressi sunt Missam de Spiritu Sancto solemni ritu celebravit Em̃us et Rm̃us Praeses, cui ad altare adstiterunt: Sacerdos assistens, Adm. Rev. D. Ed. M'Cabe; diaconi assistentes, Adm. RR. DD. Barth. Canonicus Woodlock et Matthaeus Canoni-

cus Keogh: diaconus et subdiaconus missae RR. DD. Patritius Fee et Guillelmus Cullen. Missa finita, concionem ad Synodum habuit Illm̃us et Rm̃us D. Episcopus Dromorensis. Persolutis deinde Psalmis precibusque pro aperienda Synodo praescriptis, mandatum est ut omnes praeter synodales exirent. Clausis januis Em̃us Praeses synodales allocutus est juxta formam in Pontificali Romano traditam.

Tum instituerunt Promotores ut Concilium hoc plenarium Episcoporum Hiberniae ab Em̃o Praeside, auctoritate a Sede Apostolica accepta, rite convocatum, hoc ipso die inciperet jamque incoeptum esse declararetur. Quorum precibus annuens Em̃us Praeses Decretum *de Synodo aperienda* Secretario legendum tradidit: quod quum a secretario perlectum esset, et a Patribus, nemine dissentiente, probatum, Em̃us Praeses Concilii plenarii initium fieri atque jam factum esse pronuntiavit.

Eadem ratione Decreta *de modo vivendi, de praejudicio non afferendo, de Concilii officialibus, de judicibus causarum personalium in Synodo occurrentium*, atque *de non discedendo et secreto servando*, perlecta et probata sunt.

Post hoc Concilii Promotores rogaverunt Em̃um Praesidem ut omnes ad Synodum citati aut qui ex sacrorum Canonum praescripto ei interesse deberent, nominatim vocarentur. Quod ex Praesidis mandato deinde a secretario factum est.

Responderunt omnes praeter Illm̃os et Revm̃os Episcopos Kerriensem, Kildariensem, et Laonensem, quorum Episcopus Kerriensis, qui errore circa tempus aperiendae synodi deceptus fuerat, post finitam sessionem pervenit. Episcopi vero Kildariensis et Laonensis, legitime impediti, per Procuratores aderant: Kildariensis per suum coadjutorem Illm̃um et Rm̃um D. Jacobum Lynch, Episcopum Arcadiopolitanum; Laonensis etiam per suum coadjutorem Illm̃um et Rm̃um D. Jacobum Ryan, Episcopum Echinensem.

Postea proponente Emo Praeside Patres communi consensu statuerunt duobus Episcopis coadjutoribus, qui etiam Episcoporum absentium Procuratores erant, vocem decisivam esse concedendam. Idem jus, per speciale privilegium, concessum est Rmo Fratri Brunoni, Abbati Cisterciensi de Monte Mellear io, qui unicus Abbas Mitratus in Hibernia existit.

Tum fidei Professio juxta formam Pii IV. emissa est ab omnibus qui ad eam emittendam ex Concilii Tridentini praescripto tenebantur.

Postulantibus deinde Promotoribus ut dies secundae sessionis indiceretur, et habita de ea re sententia Patrum, statuit Emus Praeses secundam sessionem habendam esse in festo Nativitatis B. M. V. Feria IV. hebdomadae proxime sequentis. In fine benedictionem solemnem Emus Praeses omnibus impertivit.

PRIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Die 1 *Septembris, Feria IV.*

Mane convenerunt Episcopi, hora undecima. Aderant Secretarii et Synodi scriptores. Postulante Emo et Rmo Praeside statuerunt Patres litteras scribendas esse ad SSmum D. N. Pium Papam IX., in obsequii et venerationis signum; ad Emos et Rmos DD. Archiepiscopos Neo-Eboracensem et Westmonasteriensem eis gratulantes ob dignitatem Cardinalitiam ipsis nuper collatam, necnon ad Emum et Rmum D. Archiepiscopum Posnaniensem et Gnesensem in carcere propter Ecclesiae jura fortiter propugnata detentum; atque ad Illmum et Rmum Dnum Episcopum Basiliensem qui cum suis Ecclesiae Helvetianae Fratribus tot tantasque ob fidem catholicam patitur

aerumnas. Hoc munus Secretariis commissum est, quibus tamen significavit Emus Praeses ut in eo perficiendo alios viros synodales, ut opportunum videretur, sibi adjungere liceret.

Deinde proposuit Emus praeses ut nominaretur specialis congregatio constans ex quatuor Archiepiscopis et cum eis quatuor etiam Episcopis a Patribus eligendis, cujus esset munus particulares Episcoporum et Theologorum deputationes constituere. Quod cum Patribus placuit secretarius suffragia collegit singillatim pro singulis Episcopis. Primo habito scrutinio electus est Episcopus Corcagiensis; altero deinde scrutinio facto, electus est Episcopus Galviensis; tertio autem scrutinio, Episcopus Clogherensis: quarto demum Episcopus Ossoriensis. Electione peracta res in singulis deputationibus tractandas assignarunt Patres.

In Iª Deputatione tractandum esse statuerunt, de Fide, de Fidei Professione emittenda, et de Fidei Periculis evitandis.

In IIª Deputatione, de Sacramentis.

In IIIª Deputatione, de vita et honestate Clericorum, necnon de Parochis et de Parochorum Vicariis.

In IVª Deputatione, de Scholis, de Collegiis et de Universitate catholica.

In Vª Deputatione, de Monialibus, et de relationibus regulares inter et Clerum secularem.

In VIª Deputatione, de Episcopis et de Tribunalibus Ecclesiasticis.

Hanc ultimam Deputationem ex solis Episcopis constare debere communi consensu constitutum est.

His peractis regulae quaedam statutae sunt de ratione procedendi in Congregationibus Generalibus, in Congregationibus Episcoporum privatis, et in particularibus Deputationibus.

Post haec, dicta Antiphona *Sancta Maria* omnes dimissi sunt.

Eodem die hora secunda cum dimidio post meridiem convenerunt Archiepiscopi et Episcopi ad id deputati, et omnes Synodales, in diversas distribuerunt Deputationes.

In I^a Deputatione, scil. *de Fide.*
Illm̃us et Rm̃us Episcopus Ossoriensis, Praeses.
Illm̃us et Rm̃us Episcopus Derriensis.
Illm̃us et Rm̃us Episcopus Midensis.
Adm. Rev. D. Edmundus O'Reilly e Soc. Jesu.
,, Jacobus V. Cleary, Secretarius.
,, Thomas M'Namara.
,, Joannes Conmy.
,, Gualterus Cantwell.
,, Petrus Bermingham.
,, Laurentius Cosgrave.
,, Jacobus Jos. M'Mahon.

In II^a Deputatione, scil. *de Sacramentis.*
Illm̃us et Revm̃us Episcopus Corcagiensis, Praeses.
,, Episcopus Kilmorensis.
,, Episcopus Cloynensis.
Adm. Rev. D. Henricus Neville, Secretarius.
,, Georgius Crolly.
,, Joannes Ryan.
,, Josephus Coyne.
,, Ulickius Burke.
,, Georgius Sheehan.
,, Bernardus Durcan.
,, P. Holland.
,, Jacobus Reynolds.

In III^a Deputatione, scil. *de Vita et Honestate Clericorum.*
Illm̃us et Revm̃us Episcopus Rossensis, Praeses.
,, Episcopus Achadensis.
,, Episcopus Waterfordiensis.

Adm. Rev. D. Jacobus Dixon.
,, Daniel M'Carthy, Secretarius.
,, Joannes Levins.
,, Nicolaus O'Flanagan.
,, P. D. O'Regan.
,, Joannes Fitzpatrick.
,, Robertus O'Shea.
,, P. Walsh.
,, Andreas Higgins.

In IVª Deputatione, scil. *de Scholis.*
Illm̃us et Rm̃us Episcopus Elphinensis, Praeses.
,, Episcopus Dunensis et Connorensis.
,, Episcopus Rapotensis.
,, Episcopus Galviensis.
Adm. Rev. D. Eduardus M'Cabe.
,, Bartholomaeus Woodlock, Secretarius.
,, Nicolaus Walshe.
,, Patritius Quinn.
,, Joannes M'Devitt.
,, Patritius M'Kay.
,, Patritius O'Mailly.
,, Daniel P. O'Reilly.
,, Gualterus Lee.

In Vª Deputatione, scil. *de Monialibus*, etc.
Illm̃us et Revm̃us Episcopus Clonfertensis, Praeses.
,, Episcopus Alladensis.
,, Episcopus Coadjutor Laonensis.
,, Abbas Cisterciensis de Mont. Mell.
Adm. Rev. D. Robertus Whitehead.
,, P. Conway.
,, Bernardus Finnegan.
,, Laurentius Kirwan.
,, Petrus Duff.

Adm. Rev. D. JEREMIAS MOLONEY, Secretarius.
,, P. COOKE.
,, P. BARTLEY.

In VI^a Deputatione, scil. *de Episcopis.*

Emus et Revmus D. ARCHIEPISCOPUS DUBLINENSIS, Praeses.

Illmus et Revmus ARCHIEPISCOPUS ARMACANUS.
,, ARCHIEPISCOPUS TUAMENSIS.
,, ARCHIEPISCOPUS CASSELIENSIS.
,, EPISCOPUS DROMORENSIS.
,, EPISCOPUS FERNENSIS.
,, EPISCOPUS LIMERICENSIS.
,, EPISCOPUS CLOGHERENSIS.
,, EPISCOPUS COADJUTOR KILDARIENSIS.
,, EPISCOPUS KERRIENSIS, Secretarius.

CONGREGATIO GENERALIS PRIMA.

Die Secunda Septembris, Feria V.

Hora decima cum dimidio ante meridiem convenerunt Episcopi cum Secretariis et Synodi scriptoribus. Aderant quoque Capitulorum Procuratores, Ordinum Religiosorum Congregationumque Provinciales ac Theologi Episcoporum.

Emus Praeses Congregatos allocutus est de gravitate rerum in Synodo tractandarum, atque de methodo in decretis discutiendis adhibenda; in fine sermonis facultatem excipiendi confessiones, usque ad exitum Synodi, omnibus benigne concessit.

Inde perlegit Secretarius tabulam materiarum in singulis Deputationibus, ut supra traditum est, tractandarum, necnon nomina Synodalium singulis Deputationibus assignatorum; et post haec regulas, jam a Patribus probatas, quas in Deputationibus et in Congregationibus servari oporteret.

Denique dicta Antiphona *Sancta Maria* finem habuit Congregatio.

Eadem die hora secunda cum dimidio post meridiem habiti sunt conventus Deputationum.

Die Tertia Septembris Feria VI.

Ante meridiem hora decima cum dimidio, et post meridiem hora secunda cum dimidio, habiti sunt Deputationum conventus.

CONGREGATIO GENERALIS SECUNDA.

Die Quarta Septembris, Sabbato.

Hora decima cum dimidio ante meridiem convenerunt Patres cum officialibus. Aderant quoque Capitulorum Procuratores, Ordinum Religiosorum et Congregationum Provinciales, necnon Episcoporum Theologi.

Perlegit Concilii Secretarius schema a Secretario Deputationis Primae sibi traditum. Post quemque schematis articulum perlectum theologis facta est a Praeside facultas ut, si quid ipsis dicendum occurreret, suam quisque sententiam libere in medium proferret. Significavit etiam Emũs Praeses Patribus licere theologos de singulis articulis interrogare proũt ipsis expedire videretur.

Hac facultate ingenue usi sunt Synodales. Variae prolatae sunt animadversiones, emendationesque propositae, quas ab Episcopis in Privata Congregatione perpendendas, in tabulas referre Secretariis mandatum est.

Postquam hac ratione perlecta sunt Caput I. de Fide Catholica, Caput II. de Fidei Professione emittenda, Caput III. de Fidei Periculis evitandis, surgens Illmũs et Revmũs Episcopus Midensis exposuit quartum hujus schematis caput mox legendum, quod erat de Societatibus Secretis

non fuisse, sicut tria Capita priora, ab omnibus Deputationis membris sancitum. Contra vero Illmo et Revmo Episcopo Ossoriensi, Deputationis Praesidi, visum est hoc Caput, haud secus ac caetera placuisse Deputationi, omnibus praeter ipsum Episcopum Midensem illud probantibus.

Interrogatis hac de re Deputationis Theologis, neque inter se consentientibus; proposuit Episcopus Corcagiensis ut hoc Caput ad Deputationem remitteretur. Quidam autem Patres censuerunt rem totam referendam ad Privatam Episcoporum Congregationem. Ad suffragia cum ventum est quatuordecim ex utraque parte Patres steterunt. Tunc Praeses Emus cujus erat suffragium decretorium ferre, statuit Caput referendum esse ad Privatam Congregationem Episcoporum.

Dicta oratione Congregatio finem accepit.

CONGREGATIO PRIVATA SECUNDA.

Eodem die hora secunda cum dimidio post meridiem convenerunt Patres cum officialibus.

Perlectum est a Secretario schema de Fide, ut Patres, perpensis et excussis theologorum animadversionibus, de singulis articulis sententiam ferrent. Suggerente Emo Praeside, et annuentibus omnibus, statutum est, ut Patres vota sua surgendo significarent, ita ut surgerent primo qui partem affirmantem, deinde, si qui essent, qui partem negantem tenerent. Qui modus agendi etiam in Congregationibus sequentibus servabatur. In rebus vero gravioribus singulorum suffragia exquirebant Secretarii et in tabulas referebant.

Hac ratione, quibusdam articulis aliquatenus immutatis, capita duo priora simul et caput tertium usque ad articulum 20 inclusive, nemine dissentiente, Patres probaverunt.

Die V. Septembris, Dominica.

Hora undecima antemeridiana habiti sunt Deputationum Conventus.

Die VI. Septembris, Feria II.

Hora decima antemeridiana Missam *de Requiem* pro Episcopis Hiberniae defunctis qui inde a Concilio Plenario Thurlesiae an. 1850 habito, e vita migraverunt, solemniter celebravit Illm̃us et Revm̃us D. Episcopus Clogherensis; cui adstiterunt: Sacerdos assistens, Rev. D. Guillelmus Walsh, S.T.D.; Diaconus et Subdiaconus, RR. DD. Guillelmus White et Joannes M'Donnell.

Hora undecima antemeridiana habiti sunt Deputationum conventus.

CONGREGATIO PRIVATA TERTIA.

Eodem die hora secunda cum dimidio post meridiem convenerunt Patres cum officialibus.

Perlegit Secretarius duo postulata: unum de parvo catechismo cui subscripserant Illm̃i et Revm̃i DD. Episcopi Ossoriensis, Achadensis, et Coadjutor Kildariensis: alterum de quaestione quadam practica, cui subscripserat Illm̃us et Revm̃us Episcopus Dunensis et Connorensis: quaestio erat de societate vulgo dicta *Foresters*. Utrumque Postulatum ad Deputationem de Fide remissum est, sed nihil decisum est.

Perlegit deinde Secretarius articulos Capitis Tertii, de Fidei periculis evitandis a numero 20 usque ad finem capitis quippe in Congregatione Privata Episcoporum nondum excussos. Quibusdam factis emendationibus omnes a Patribus probati sunt. Simili ratione per singulos

articulos perlectum, excussum, emendatum ac demum probatum est Caput *De Episcopis*, dilato in aliud tempus Capite *de Societatibus Secretis*.

Tunc dicta oratione omnes dimissi sunt.

Die 7 Septembris, Feria III.

Mane hora decima cum dimidio habiti sunt Deputationum Conventus.

CONGREGATIO PRIVATA QUARTA.

Eodem die hora secunda cum dimidio convenerunt Patres cum Officialibus.

Articulus novus, quem Capiti de Fidei Periculis evitandis inserendum proposuit Episcopus Rapotensis, a Secretario perlectus est. Post brevem disceptationem Secretariis demandatum est ut in Actis Concilii locum habere posset: sed postea tota res arbitrio singulorum Episcoporum relicta est.

Plures deinde articuli novi a Deputatione *De Episcopis* prolati sunt, quorum singuli perpensi, aliquatenus emendati et demum probati et sanciti fuere.

Perlecto postmodum capite jam memorato de Societatibus Secretis, et proposita ab Emo Praeside quadam immutatione respectu ordinis quo ejusdem articuli inter se necterentur, Episcopus Midensis sententiam suam de hoc capite ingenue in medium protulit. Arbitratus est non expedire Fenianos speciali hujus Synodi Decreto, et verbis adeo severis, damnari. Societatem Fenianorum damnatam et damnandam esse, immo hujus Societatis duces homines esse scelestissimos et vaferrimos omnino fassus est. Timuit vero ne haec nova denuntiatio animos plurimorum graviter concitaret, et Fenianos jam fractos, et, ut ipsi

videbatur, poene extinctos, quodammodo exsuscitaret, iisque novas vires praeberet.

In eandem fere sententiam ivit Episcopus Fernensis.

Episcopo Waterfordiensi satis fore visum est si in Appendice hujus Synodi Actis et Decretis subnexa, apponeretur S. Officii Decretum quo damnatur Societas Fenianorum; id quod factum esse a Concilio Westmonasteriensi nuper habito memoravit.

Contra vero Episcopus Corcagiensis Decretum in schemate retinendum, sed in litteris ad populum ab hac Synodo dirigendis, cum magna charitate et benignitate de Fenianis tractandum esse judicavit. Huic proposito plures annuerunt Patres.

Animadvertit Em̃us Praeses sententiam Episcopi Midensis cum argumento ejus non bene cohaerere. Cum enim fateretur Fenianorum duces homines scelestissimos et vaferrimos esse, Episcopi plane tenerentur eos palam denuntiare ne forte populus fidelis et simplex eorum dolis et fallaciis deceptus, in ruinam traheretur.

Cum demum ad suffragia perventum est super hac quaestione;—Num pars illa Decreti jam perlecti retinenda esset in qua damnatur Societas Fenianorum,—vota Patrum seriatim a Secretariis exquisita sunt. Quatuor in sententiam negantem ierunt: in sententiam vero affirmantem quatuor et viginti.

Post haec, dicta oratione, omnes discesserunt.

SESSIO SOLEMNIS SECUNDA.

Die 8 Septembris, Feria IV.

Hora decima antemeridiana, Congregatis in Ecclesia Collegii Episcopis caeterisque Synodalibus, adstantibus

quibusdam de clero et populo, Missam solemnem *De Spiritu Sancto* celebravit Illm̃us et Revm̃us D. Episcopus Limericensis ; cui ad altare adstiterunt : Sacerdos assistens, Adm. Rev. D. Eduardus McCabe ; Diaconus et Subdiaconus, RR. DD. Joan. Anderson et Joan. McDonnell. Missa finita concionem habuit Illm̃us et Revm̃us D. Episcopus Kerriensis. Inde recitatis precibus psalmisque praescriptis recesserunt omnes praeter Synodales.

Tum instituerunt Promotores ut legerentur Decreta *De Fide Catholica: De Fidei professione emittenda ; De Fidei periculis evitandis, De Societatibus proscriptis ; De Episcopis :* quae in privatis Episcoporum congregationibus sancita sunt. Quod cum, ex Em̃i Praesidis mandato, a Secretariis factum esset Decreta omnibus Patribus absolute placuerunt praeter Episcopum Dunensem, qui suffragium tulit ; *placet juxta modum.*

Indicta est Sessio Tertia Solemnis ad diem 16 Septembris feriam quintam hebdomadae proxime sequentis.

Denique finem Sessioni imposuit Em̃us Praeses, benedictione solemni omnibus prius impertita.

Die 9 *Septembris, Feria V.*

Hora decima cum dimidio ante meridiem habiti sunt Deputationum conventus.

CONGREGATIO PRIVATA QUINTA.

Eodem die, hora secunda cum dimidio habita est Congregatio Episcoporum privata. Aderant de more officiales Concilii.

Licentiam abeundi per aliquot dies Episcopo Midensi, ob negotia magni momenti, a Judicibus causarum concessam, benigne confirmarunt Patres.

Exposuit Episcopus Dunensis se *juxta modum* suffragium pridie tulisse propterea quod decretum Synodi *de Societatibus proscriptis* ipsi non videbatur omnes societates distincte complecti, quae, ipso judice, a Summo Pontifice damnatae erant.

Deinde caput *De libris pravis vitandis* perlegit Secretarius. Quo excusso et, post quasdam emendationes, probato, in medium prolatum est schema *de Sacramentis*. Plures articuli emendati sunt et probati. Cum vero ad articulum *de oblationibus* occasione sacramentorum administrationis fieri solitis perventum est, longior et animosior facta est disputatio. Praecipue agitabatur quaestio, num expediret, id quod in schemate propositum erat, suspensionem ipso facto incurrendam in eum ferre qui ministerium suum recusaret nisi prius solveretur certa summa pecuniae. Post multa hinc inde disceptata, suffragiis demum a Secretario exquisitis, novemdecim Patribus placuit sententia affirmans, septem vero sententia negans. Praeses Emus nullum tulit suffragium : abfuit autem, ut supra memoratum est, Episcopus Midensis.

CONGREGATIO PRIVATA SEXTA.

Die 10 *Septembris, Feria VI.*

Hora decima cum dimidio convenerunt Patres cum officialibus Concilii.

Nuntiavit Secretarius Judices Causarum Adm. Rev. P. Cooke licentiam a Synodo discedendi, ob graviora quaedam sui ordinis negotia, concessisse ; quam benigne confirmarunt Patres.

Brevi habita disputatione super articulo *de oblationibus* pridie excusso consultius duxerunt Patres, auctore Emo

Praeside, decretum in hac re Synodi Thurlesianae ad verbum tenere, dilata quaestione de censura inferenda quoad de Baptismo et Matrimonio in particulari tractaretur.

Tunc perrexerunt Patres ad secundum hujus schematis Caput, *de Baptismo*, discutiendum. Singulis articulis de more perpensis et, ubi opus erat, emendatis, omnes usque ad numerum 38 probati sunt. Inde capita *de Archivis, de bonis ecclesiasticis, de dissentionibus inter viros ecclesiasticos evitandis*, paene ad verbum e decretis Synodi Thurlesianae deprompta, perlecta sunt et a Patribus confirmata.

Post hoc jussu Eñi Praesidis, perlegit Secretarius decretum a Conventu omnium Hiberniae Episcoporum, die 18 Maii anno 1854 Dublini habito promulgatum, quo prohibitum est Sacerdotibus ne de rebus saecularibus et politicis in Ecclesiis agerent. Quod perlectum et confirmatum omnibus placuit ut inter hujus Synodi Decreta referretur.

Inde, dicta oratione, Congregationi finis impositus est.

CONGREGATIO GENERALIS TERTIA.

Eodem die, hora secunda cum dimidio post meridiem habita est Congregatio Generalis Tertia.

Schema *de vita et honestate clericorum* a Secretario perlectum est. Episcopis, inter legendum, interrogantibus, plures a Theologis factae sunt animadversiones quas in tabulas retulerunt Secretarii. Eadem ratione perlectum et excussum est schema *de scholis* usque ad articulum quartum, inclusive.

Inde, dicta oratione, omnes dimissi sunt.

CONGREGATIO PRIVATA SEPTIMA.

Die 11 *Septembris, Sabbato.*

Hora decima cum dimidio convenerunt Patres cum officialibus Synodi.

Schema *de vita et honestate clericorum* perlectum est a Secretario, ut, perpensis Theologorum animadversionibus, de singulis articulis quid sentirent Patres significare possent. Hac ratione ad trutinam revocati sunt et probati omnes articuli usque ad numerum 131 inclusive.

Dicta deinde oratione finem accepit Conventus.

CONGREGATIO PRIVATA OCTAVA.

Die 12 *Septembris, Dominica.*

Hora undecima antemeridiana convenerunt Patres cum Synodi officialibus.

Quaestione ab Illm̃o et Revm̃o Episcopo Corcagiensi proposita super censura in articulo 118 *de vita et honestate clericorum* pridie lata notavit Em̃us Praeses, Patribus assentientibus, eam non esse reservatam, ideoque omnes Confessarios ab ea absolvere posse.

Perlegit Secretarius Caput *de Vicariis Generalibus et Foraneis* necnon caput de litibus evitandis, quorum singuli articuli, post brevem disceptationem, probati sunt. Inde iterum coram Patribus prolatum est schema *de Sacramentis.* Singulis plene excussis articulis, a numero 38 *de Baptismo* usque ad finem capitis *de Confirmatione,* pluribusque factis emendationibus, nonnullis etiam e decretis Synodi Thurlesianae adjectis, schema sic emendatum ab omnibus probatum est.

Quae autem in capite proxime insequenti, *de Sacramento Eucharistiae,* continebantur, censuerunt Patres in formam

minus idoneam fuisse redacta. Ideoque satius existimarunt ut hoc capite schematis ad Deputationem remisso, Decreta Synodi Thurlesianae judicio coetus subjicerentur; quae perlecta et, pro mutatis rerum adjunctis, emendata, unanimi voce recepta et probata sunt.

Tum dicta oratione omnes recesserunt.

Die 13 *Septembris, Feria II.*

Hora decima cum dimidio ante meridiem habiti sunt Deputationum Conventus.

CONGREGATIO PRIVATA NONA.

Eodem die hora secunda cum dimidio post meridiem habita est Congregatio Privata Nona.

In medium protulit Secretarius schema *de Eucharistia*, ad mentem Patrum redactum et constans ex decretis Thurlesianis pridie confirmatis, quibusdam adjunctis ex schemate prius delato et a Congregatione remisso. Cum schema ita confectum nihil nisi ea quae ante a Congregatione sancita erant continere nuntiavit Secretarius, ab omnibus statim probatum est.

Post haec perlegit Eñus Praeses clausulas quasdam de Cantu Gregoriano et de Hymnis lingua vernacula intra Missam Privatam cantandis; quas probaverunt Patres atque inter decreta suo loco referendas statuerunt.

Dein examini subjectum est schema *de Scholis*. Singuli articuli excussi sunt et probati donec perventum est ad numerum 285 supra quem, cum diutius disceptaretur, hora jam sera dilata est in crastinum diem deliberatio.

Tunc dicta oratione finis coetui impositus est.

CONGREGATIO PRIVATA DECIMA.

Die 14 *Septembris, Feria III.*

Hora decima cum dimidio convenerunt Patres cum officialibus Concilii.

Ad examen revocatum est schema *de Scholis.* Disceptatione super articulo 285 renovata, proposuit Illm̃us et Rm̃us D. Archiepiscopus Casseliensis articulum emendatum, quem diligenter excussum demum probaverunt Patres, ajentibus quinque supra viginti, negantibus autem tribus.

Perlecto articulo 287 censuit Illm̃us et Revm̃us D. Episcopus Kerriensis opus non esse suspensionem *ipso facto* incurrendam contra legis transgressores denuntiare, sed omnino sufficere suspensione *ferendae sententiae* legem firmare. Huic sententiae adhaeserunt Patres, annuentibus sexdecim, contradicentibus tamen duodecim.

Longioris disputationis occasionem praebuit articulus 289. Pluribus frustra propositis et excussis emendationibus, proposuit Episcopus Kerriensis rem Praesidi Em̃o committendam, qui articulum emendatum Congregationi proxime insequenti deferret. Quod cum omnibus placuit conventus finem accepit.

CONGREGATIO PRIVATA UNDECIMA.

Eodem die, hora secunda cum dimidio post meridiem iterum convenerunt Patres cum officialibus Concilii.

Em̃us Praeses in medium protulit articulum emendatum juxta preces Congregationis confectum; qui, brevi habita disceptatione, omnibus placuit.

Inde convenerunt Patres nonnullos articulos pratermittendos quippe qui potius in epistola Synodi pastorali locum habent: caeteros autem articulos usque ad numerum 335 inclusive, examini subjectos, et in quibusdam emendatos probaverunt.

Die 15 *Septembris, Feria IV.*

Hora decima cum dimidio ante meridiem habiti sunt Deputationum Conventus.

CONGREGATIO PRIVATA DECIMASECUNDA.

Eodem die hora secunda cum dimidio post meridiem convenerunt Patres cum officialibus.

Perlecto a Secretario capite *de cura Defunctorum*, ut judicio Patrum subjiceretur, exorta est controversia de articulo secundo. Voluit Episcopus Midensis ut Missa solemnis et officium pro Defunctis, in domibus privatis celebrari permitteretur saltem in casu quo domus longe ab Ecclesia distaret. Quod tamen, cum post brevem disceptationem ad suffragium perventum esset, Patribus minime placuit; annuentibus tantum tribus, contradicentibus autem viginti quinque. Itaque recepto hoc articulo ut in schemate propositus erat, caeteri ejusdem capitis articuli ad trutinam revocati sunt atque voce unanimi probati.

Post hoc, schemate *de Catholica juventute instituenda* in medium prolato, iterum examini Patrum revocata est lex pridie sancita qua districte prohibitum est ne juvenes *Collegia Reginae aut Collegium Protestanticum SSmae Trinitatis* frequentarent, et ne parentes aut tutores juvenes sibi commissos ad ea mitterent. Re diutius excussa Patribus magis expedire visum est ut, Synodi Thurlesianae vestigiis inhaerentes, omissa districta prohibitione, denuntiarent tantum pericula graviora quibus exponuntur qui haec frequentant collegia.

His constitutis, et deletis quibusdam aliis hujus schematis articulis, cum perveniretur ad caput de Universitate Catholica, hora jam sera dilata est in alium diem deliberatio.

Dicta proinde oratione finem cepit Congregatio.

CONGREGATIO PRIVATA DECIMATERTIA.

Die 16 *Septembris, Feria V.*

Hora decima cum dimidio convenerunt Patres cum officialibus Synodi.

Caput *de Censuris*, a Secretario perlectum, et Patrum examini de more subjectum, post brevem disceptationem omnibus placuit.

Inde lecta sunt *de Parochis* eorumque *Vicariis* capita duo: quorum singuli articuli discussi et post plures emendationes probati sunt.

Quibus absolutis Congregationi finis impositus est.

CONGREGATIO PRIVATA DECIMAQUARTA.

Eodem die hora secunda cum dimidio post meridiem convenerunt Patres cum officialibus.

Nonnulli delati sunt articuli ad capita *de Parochis* et *Vicariis* spectantes qui longius agitati et magis minusve immutati, demum probati sunt.

Post hoc schemate *de Sacramentis* iterum prolato de Poenitentia agi coeptum est. Exorta super articulo secundo controversia *de Stationibus* quae in quibusdam Hiberniae regionibus solent domibus in privatis haberi ad confessiones excipiendas missamque celebrandam, gravissimis verbis plures testati sunt Episcopi eas prorsus aboleri non posse, spectatis quarumdam regionum circumstantiis, absque magno religionis detrimento. Alii vero contra affirmarunt praxim istam in suis dioecesibus, post Synodum Thurlesianam fuisse abrogatam, neque tamen religionem exinde quid detrimenti cepisse. Quibus ex altera parte responderunt haud pauci populum in quibusdam locis post sublatas stationes omnino a Sacramentis frequentandis se abstinuisse, atque ideo coactos esse pastores ad pristinam redire consuetudinem stationes habendi. Multis hinc inde dis-

ceptatis in medium prolatum est Decretum a Sacra Congregatione de Fide Propaganda insertum inter Decreta Synodi Provincialis Casseliensis anno 1853 habitae. Quod cum lectum esset convenerunt Patres, annuente Emño Praeside, ut Decretum Synodi Plenariae Thurlesianae retinentes, ei adjicerent hoc Decretum ex Synodo Provinciali Casseliensi excerptum.

Dein caeteris hujus capitis articulis breviter discussis, atque ab omnibus probatis, per orationem Congregatio absoluta est.

CONGREGATIO PRIVATA DECIMAQUINTA.

Die 17 *Septembris, Feria VI.*

Hora decima cum dimidio habita est Congregatio Privata decimaquinta.

Illmus et Revmus D. Episcopus Ardacadensis et Cluanensis, Synodi Secretarius, Epistolam pastoralem quam nomine Synodi edendam ipse, jussu Praesidis Emi, confecerat, in medium protulit ut ea judicio Patrum subjiceretur. Quam perlectam Patres magno cum plausu exceperunt. Conventum est Patrum animadversiones, si quae essent super ea proferendae, in posterum diem rejiciendas esse.

Dein ad trutinam iterum revocatum est decretum de residentia Vicariorum Parochorum; quod cum pluribus nimis molestum videretur aliquatenus illud Patres mitigarunt. Deleta est clausula qua prohibitum erat ne Vicarius, inconsulto Parocho, e paroecia exiret; et loco ejus alia subrogata est clausula prohibens ne, sine licentia Parochi Vicarius extra domum suam pernoctaret.

Prolato post haec schemate *de Sacramentis*, capita de *Extrema Unctione* et *de Matrimonio* mature perpensa et in pluribus emendata, demum probata sunt. Ultimum schematis articulum, qui erat de conditionibus ad acquirendum domicilium et quasi-domicilium in ordine ad matri-

monium requisitis, delendum censuerunt Patres, ut de quaestione tantopere inter Theologos agitata judicium Sedis Apostolicae expeteretur.

Deinde judicio Patrum subjectus est libellus de oblationibus occasione matrimonii fieri solitis, confectus ab Episcopis Provinciae Casseliensis. Post brevem disceptationem statutum est hujus libelli exemplaria litographica singulis Patribus quamprimum distribuenda esse, ut re accurate perpensa, de ea in Congregatione futura sententiam ferrent.

Tum prolato iterum schemate *de Catholica juventute instituenda*, perlegit Secretarius quod restabat hujus schematis non ante Patrum examini submissum. Singuli articuli de more excussi sunt et, factis quibusdam emendationibus, probati.

Inter legendum, cum de collectis in Universitatis Catholicae subsidium faciendis ageretur protestatus est Illm̃us et Revm̃us Archiepiscopus Tuamensis aequum non esse ut in sua dioecesi fierent ejusmodi collectae quum in scholis Universitatis Catholicae litterae Hibernicae non traderentur. Animadvertit Em̃us Praeses D. Eugenium O'Curry, virum sane in lingua Hibernica peritissimum, olim in Universitate professorem istius linguae extitisse: nullos autem alumnos ejus scholam frequentasse. Respondit autem Tuamensis linguam Hibernicam quam tradebat O'Curry non eam fuisse qua nunc utuntur Hiberni sed antiquiorem ejusdem linguae formam jamdiu obsoletam.

Habita tamen Patrum sententia decretum de collectis faciendis placuit omnibus praeter Tuamensem, qui postulavit ut momenta a se allata in tabulas referrent Secretarii.

Post haec adjecto ad finem decretorum de scholis articulo de Schola Normali Catholica prope Dublinum erigenda, Caput *de Monialibus* perlectum est a Secretario atque a Patribus probatum. Huic schemati nexus erat articulus qui plura continebat proposita circa Congregationem Sororum quae vulgo *de Misericordia* nuncupantur, et circa

ejusdem Congregationis Sorores conversas. Quem tamen articulum cum non fuisset in Deputatione *de Monialibus* examini submissum sed ab aliena manu schemati adjectum, eum non esse in Congregatione Episcoporum excutiendum existimarunt Patres.

CONGREGATIO PRIVATA DECIMASEXTA.

Die 18 *Septembris, Sabbato.*

Hora decima cum dimidio habita est Congregatio privata decimasexta et ultima.

Parvus Catechismus a Deputatione de fide redactus, coram Patribus delatus est a Secretario: quem proelo subjiciendum statuerunt Patres ut singulis Episcopis exemplaria mitterentur, quod tamen ob defectum temporis fieri non potuit.

Postulatum Illmi et Revmi D. Episcopi Ossoriensis de officiis propriis quorumdam Hiberniae Sanctorum perlectum et probatum est: et officia suo tempore Sanctae Sedi subjicientur.

Epistola Pastoralis pridie lecta, quibusdam factis animadversionibus, demandata est ad Illmos et Revmos Episcopos Casseliensem, Dromorensem et Ardacadensem, qui ejusmodi animadversionum ratione habita, eam recenserent, atque in lucem ederent.

Inde perlectum est Caput *de Viris Religiosis* quod longius excussum et haud modice immutatum inter Decreta relatum est.

Articulum a Deputatione Episcoporum delatum de modo quo se gerere debeant Sacerdotes et Confessarii circa novum quoddam genus minus honeste saltandi, jam in Hibernia invalescens, breviter excussum probaverunt Patres.

His constitutis, quaestio ab Emo Praeside Patribus proposita est, quomodo melius provideri posset refugium pro Sacerdotibus aegrotantibus et quavis de causa infirmis,

necnon asylum pro iis Sacerdotibus qui vitio ebrietatis infeliciter addicti sibi prospicere non possent. Cum super hac re Patres inter se colloquerentur, nuntiavit Episcopus Coadjutor Kildariensis, Revmum Abbatem Cisterciensem de Monte Mellea rio paratum esse curam ejusmodi instituti sibi assumere, et quidem 500 aureos in impensas necessarias conferre quod omnium plausu receptum est. Inde recensuit Revmus Abbas conditiones quibus monasterium in hunc finem destinatum a suo Ordine constitui et moderari posset; adjiciens tamen idem refugium non posse, ipso judice, simul inservire Sacerdotibus aegrotantibus et lapsis. Haec a Revmo Abbate singulari modestia et charitate nec non sermone nitido et eloquenti exposita omnibus Patribus placuerunt.

Post haec ad breve temporis intervallum prorogata est Congregatio.

Patribus iterum congregatis perlectum est schema decreti ab Episcopis Provinciae Casseliensis confectum, examini Patrum subjiciendum. Inter disputandum, difficultate gravi exorta ob alias aliarum regionum consuetudines, proposuit Emus Praeses, ut, praetermissa priore schematis parte, ejusdem articuli tertius et quartus acciperentur, n. 111, 112. Quod cum omnibus visum est, eos inter decreta hujus Synodi de Matrimonio inserendos statuerunt Patres.

Perlectae inde et probatae sunt litterae ad SS. DD. N. PIUM Papam IX, ad Emos et Rmos Archiepiscopos Neo-Eboracensem, Westmonasteriensem, Posnaniensem et Gnesnensem et ad Episcopum Basileensem.

His peractis, articulus de residentia Coadjutorum Parochorum, ad trutinam tertio revocatus, novae controversiae occasionem dedit. Re mature perpensa, Patres convenerunt exigere non oportere ut Vicarius, si extra domum pernoctare vellet, Parochi obtineret licentiam, sufficere autem si Parochum ea de re certiorem faceret.

Denique statutum est, id quod, spectatis specialibus hujus patriae circumstantiis in Deputatione Episcoporum conventum erat Sanctae Sedi humiliter supplicandum esse ut benigne dignaretur concedere dispensationem utendi lacticiniis in refectiuncula matutina diebus jejunii, et ovis in prandio omni Feria Sexta quae simul est dies jejunii, atque ut jejunium tempore Adventus transferretur a Sabbato in Feriam quartam.

CONGREGATIO GENERALIS QUARTA.

Die 19 *Septembris, Dominica.*

Post celebratam Missam privatam hora decima coram Emo Praeside adstantibus Illmis et Revmis Episcopis ceterisque synodalibus habita est in ecclesia Collegii Congregatio Generalis quarta. Perlecta sunt a Secretariis decreta—*De Sacramentis ; De Censuris ; De dissentionibus inter viros ecclesiasticos evitandis ; De Parochis ; De Coadjutoribus Parochorum ; De Vicariis Generalibus et Foraneis ; De litibus evitandis ; De Foro ecclesiastico ; De Archivis constituendis ; De bonis ecclesiasticis ; De libris pravis vitandis ; De Cura Defunctorum.*

Decreta lecta omnibus Patribus placuerunt.

Deinde dicta oratione Congregationi finis impositus est.

CONGREGATIO GENERALIS QUINTA.

Eodem die hora septima vespertina habita est Congregatio Generalis Quinta. Aderant omnes Synodales. Perlecta sunt a Secretario, jussu Emi Praesidis, decreta *de Catholica juventutis institutione ; de vita et honestate clericorum ;* et, *de viris religiosis ;* quae omnia Patribus placuerunt.

Dicta deinde oratione Congregatio finem accepit.

SESSIO SOLEMNIS TERTIA.

Die 20 Septembris, Feria Secunda.

Hora decima celebrata est Missa Solemnis ab Illmo et Revmo Archiepiscopo Casseliensi; cui ad altare adstiterunt: Sacerdos assistens, Adm. Rev. D. Joannes Ryan, Vic. Gen. Casseliensis; Diaconus et Subdiaconus, RR. DD. Patritius Fee et Guillelmus Cullen.

Missa finita perlectum est a Secretario decretum *de Monialibus*, quod Patribus omnibus placuit; et omnia peracta sunt quae in Pontificali Romano praescribuntur.

Acclamationes quae sequuntur in fine Synodi cantatae sunt:

1. Deo Patri misericordiarum et totius consolationis Auctori, gratiae.

Chorus. Immensa est misericordia tua, Domine, super nos, qui nos verum disciplinae regimen docere, et post diras tot saeculorum calamitates, hac secunda Plenaria Synodo Ecclesiam nostram augere dignatus es; tibi honor, tibi laus, tibi gloria in saecula aeterna.

2. Beatissimo Pio Papae, et Dño Nostro Ecclesiae Christi Pontifici Maximo; cunctarum gentium obedientia, et verae fidei per totum orbem propagatio.

Chorus. Benignissime Deus, sanctissimum Patrem nostrum Ecclesiae tuae conserva ut, eo gubernante, universae gentes tibi verum obsequium praestent, et quae dispersae sunt, in unum Ecclesiae tuae ovile colligantur.

3. Emo et Illmo D. Cardinali, Archiepiscopo Dublinensi, Delegato Apostolico et Praesidi hujus Synodi, caeterisque Archiepiscopis et Episcopis Hiberniae et universo clero cum multis annis, salutaris super gregem vigilantia, in laboribus constantia, et omnia fausta.

Chorus. Deus gratiarum largitor, infunde super pastores tuos tui Spiritus abundantiam, et corda eorum in

aedificationem Ecclesiae tuae accende, ut gregem eis commissum ad aeterna tabernacula ducere valeant.

4. Omnibus Regni hujus fidelibus, et cuncto populo christiano, perseverantia in avita fide, atque in mente et corpore pax Christi aeterna.

Chorus. Da pacem Domine in diebus nostris, et adversus diabolicos incursus, atque haeresum omnium conatus, illibatam plebi tuae salutis doctrinam conserva: Confirma in virtute gressus ejus, et benignitatis tuae perpetuum illi rorem infunde.

Praeses. Domine, nos operarii in messem tuam missi ministerium nostrum adimplentes hujusque concilii decreta vigilanti animo exequentes, digni reddamur aeterna mercede; intercedente Beata et Gloriosa Dei Genetrice Maria, cum BB. App. Petro et Paulo, B. Patritio hujus regni Apostolo, atque B. Patrono nostro Laurentio.

Chorus. Amen, Amen, Amen.

Denique Emus Praeses finem Synodo imposuit sequenti decreto: Paulus tit. S. Petri in Monte Aureo S. R. E. presbyter Cardinalis Cullen, Archiepiscopus Dublinensis, Hiberniae Primas, Delegatus Apostolicus, hujus SS. Synodi Praeses, Deo auctore et adjutore, cum absoluta sint quae pro temporis ratione agi gerique posse videbantur, cumque pastoralis cura RR. DD. Episcopos qui huc in Concilium evocati sunt, ad ecclesiarum suarum stationem et pastoralem vigilantiam revocet: propterea hujus Synodi finem jure faciendum censuimus.

Datum in Synodo, die 20 Septembris 1875.

✠ PAULUS CARD. CULLEN.

DECRETA

SYNODI PLENARIÆ EPISCOPORUM HIBERNIÆ,

HABITÆ APUD MAYNUTIAM,

AN. 1875.

I.

DE APERIENDA SYNODO.

In nomine Sanctissimae ac Individuae Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Nos Paulus tituli S. Petri in Monte Aureo Presbyter Cardinalis, S. Sedis Apostolicae Delegatus, Archiepiscopus Dublinensis, et Hiberniae Primas, ad laudem ac gloriam Omnipotentis Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, ad honorem Beatissimae Virginis Mariae, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Sancti Patritii, et omnium Sanctorum, ad incrementum fidei ac Religionis Catholicae, ad pacem et unionem Ecclesiae hujus regionis promovendam, et ad reformationem Cleri et Populi, statuimus ac decernimus, de consilio et consensu Reverendissimorum Episcoporum Hiberniae, hoc ipso die, qui trigesimus primus est mensis Augusti, adjutrice divina misericordia, initium fieri atque jam factum esse Concilii Plenarii Hiberniae; quod rite et auctoritate a S. Sede Apostolica, cujus Delegatus sumus,

accepta, litteris datis die secunda Julii proxime elapsi, convocavimus, in diem 17 Augusti, et postea in hunc diem prorogavimus; quae concilii inchoatio felix sit ac fausta et in religionis incrementum et majorem Dei gloriam benevertat.

II.

DE MODO VIVENDI.

Cum omne datum optimum et omne donum perfectum desursum sit descendens a Patre luminum, cumque, nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilet qui custodit eam, Synodus haec plenaria fideles omnes praecipue vero Episcopos et Sacerdotes monet et hortatur ut assidue divinam implorent opem, et sine intermissione preces Deo effundant, rogantes ut sapientiam assistricem sedium suarum de coelo mittat, ut Patribus hujus concilii adsit, et cum ipsis laboret. Omnes porro qui concilio intersunt in meditationem divinarum rerum sedulo incumbant; Missae sacrificium vel quotidie celebrent vel eidem devote assistant; Preces Horarias Divini Officii digne attente ac devote studeant recitare; et iisdem si in Ecclesia solemniter celebrentur, intersint: ea demum omnia, quae de ratione vivendi jam a Sacrosancta Tridentina Synodo tam plene sunt tradita, et prae mente habeant et executioni mandare curent. Cum autem in eum finem haec Synodus sit congregata ut promoveatur Dei honor atque gloria, Ecclesiae decus augeatur, atque concordia sacerdotalis firmetur, omnia sedulo sunt evitanda quae ad animos concitandos, aut ad charitatis vinculum violandum tendant. In sententiis itaque dicendis, magna verborum moderatio adhibenda

est, et ab omni violentia et perturbatione abstinendum. Magna tamen libertas in iis quae sentiunt proferendis, est omnibus in Domino concedenda.

III.

DE PRAEJUDICIO NON AFFERENDO.

Quod si cui contigerit in hanc plenariam Synodum non jure admissum fuisse, vel suo proprio loco non sedere, sententiamve dicere, aut aliud quidpiam agere; vel si forte aliqua ratione, propria alicui privilegia non concedantur, declaramus ac decernimus nullum ipsi jus novum esse ideo acquirendum vel praejudicium inferendum; omnium enim jura sarta tectaque esse volumus.

IV.

DE OFFICIALIBUS.

Cum autem ad hujus plenarii Concilii actiones et tractationes ministri nonnulli requirantur, ideo sequentes eliguntur, nempe:—

Promotores: Illmus et Revmus Dñus Episcopus Elphinensis et Illmus et Revmus Dñus Episcopus Rapotensis.

Secretarii: Illmus et Rmus Episcopus Ardacadensis et qui illi assistant Revdus. Dñus Geraldus Molloy, S.T. Doctor, et Revdus. Dñus Guillelmus Walsh, S.T. Doctor.

Caeremoniarii: R. Dñus Josephus M'Swiggan et qui illi assistant R. Dñus Patritius Tynan, S.T. Doct., et Rev.

Dñus Michael Higgins, qui etiam Scriptorum Officio fungentur in Synodo.

Cancellarius: Reverendus Dominus Gualterus Lee, S.T. Doct., Canonicus et parochus.

V.

DE JUDICIBUS CAUSARUM PERSONALIUM IN SYNODO OCCURRENTIUM.

Ne vero singulorum causae, rerum graviorum quae a Nobis in hoc plenario Concilio agi debent, cursum impedire possint, ideo, Revmi et Illmi Domini Episcopi Corcagiensis, Derriensis, Fernensis, Clonfertensis, huic muneri praeficiuntur, ut absentium excusationes, causasque ante dimissam Synodum abeundi, si quae a quopiam allegentur, cognoscant, easque ad nos deferant. Duo ex praedictis episcopis ad causam quamlibet dirimendam sufficient.

VI.

DE NON DISCEDENDO ET DE SECRETO SERVANDO.

Demum, universis qui ad hanc Synodum plenariam convenerunt, in virtute sanctae obedientiae et sub poenis in jure statutis, praecipimus, ne antequam Synodus ad exitum perducta fuerit, et ejus acta subscripta, discedant, nisi ob justas et rationabiles causas facultatem recedendi aliquis a Patribus obtinuerit, et ne secreta ad Synodum spectantia publici juris faciant.

VII.

DE FIDE CATHOLICA.

1. "Nullae sunt majores divitiae," inquit sapienter Augustinus, "nulli thesauri, nulli honores, nulla mundi hujus "major substantia, quam est Fides Catholica, quae pecca- "tores homines salvat—infirmos curat—catechumenos "baptizat—fideles justificat—poenitentes reparat—justos "augmentat—martyres coronat—virgines et viduas et "conjuges casto pudore conservat—clericos ordinat— "sacerdotes consecrat, regnis coelestibus praeparat, in "aeterna haereditate cum angelis sanctis communicat."— "(Serm. 1 de Verbo Dei.) Quae quidem verba tanquam in compendio ea omnia exprimere videntur, quae in Sacris Litteris de fide traduntur, et clarissime ostendunt quanto in pretio praeclara illa virtus sit habenda.

2. Itaque constitutiones nostrae initium sumant a fide oportet, sine qua impossibile est placere Deo, *et sine qua nihil sanctum, nihil castum, nihil vivum.*—(S. Leo Serm. 4, in Nat. Domini.) Licet enim in Domino gloriari possimus regionem hanc nostram, divino beneficio, nunquam foedatam inventa nova aliqua haeresi fuisse, tamen, in re tanti momenti vigilare nos oportet, et contendere ut depositum tam pretiosum omni cura et quam accuratissime custodiatur.

3. Imprimis igitur cum Concilio Vaticano[1] dicimus fidem, quae est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis, virtutem esse supernaturalem, qua Dei aspirante et adjuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, propter auctoritatem ipsius Dei revelantis qui nec falli nec fallere potest.

4. Porro fide Divina et Catholica ea omnia credenda sunt quae in Verbo Dei Scripto vel Tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni judicio sive ordinario et universali

[1] Sess. iii., cap. 3.

magisterio,[1] aut a Romano Pontifice cum ex cathedra loquitur tanquam divinitus revelata credenda proponuntur. Ecclesiae enim Catholicae, regno scilicet Christi spirituali, extra quam nec vera fides nec salus aeterna inveniri potest, omnem veritatem suam revelatam, tanquam depositum maxime pretiosum, in aevum commisit ipse Dominus ab Apostolis et eorum successoribus, praesertim vero a Romano Pontifice, Beati Petri successore, custodiendum atque fidelibus pro vitae aeternae alimonia tradendum. Haec igitur Ecclesia, revelationis custos et magistra veritatis, pro nata occasione, ex thesauro suo divitias coelestis doctrinae fidelibus depromit. Speciali autem modo commemorare licet quae in Concilio Vaticano Œcumenico, tam fauste incoepto tam infeliciter interrupto, nuper definita sunt et promulgata.

5. Haec omnia firmissime credimus et profitemur, atque ab omnibus nostrae jurisdictioni subjectis teneri volumus: errores vero contrarios, sive ab Ecclesia sive a Romano Pontifice proscriptos, nos quoque proscribimus et damnamus; atque pro virili parte conabimur ut eorum nullum vestigium in nostris dioecesibus inveniatur.

6. Ut autem Vaticani Concilii decreta ad omnium notitiam perveniant, atque manibus omnium terantur, volumus ut una cum hujus Synodi Actis et Decretis integre edantur,[2] atque a sacerdotibus privatim et in collationibus theologicis perlegantur et explanentur. Hac ratione omnes plane intelligent nihil in iis decretis inveniri, quod ad religionem firmandam non tendat, nihilque quod ulla ratione cum bono reipublicae et juribus civilis societatis non conveniat.

7. Cum vero Romani Pontificis infallibilitas quae a concilio jam memorato definita est ab Ecclesiae hostibus et quibusdam praetensis Catholicis impugnetur, muneris nostri esse existimamus praeclarum hoc successorum Petri pri-

[1] Conc. Vatic. sess. iii. cap. 3.
[2] Vide Append. II. pag. 183.

vilegium fidelibus commendare, ut una nobiscum in verbis concilii profiteantur "Romanum Pontificem cum ex cathedra "loquitur, id est cum omnium Christianorum pastoris et "doctoris munere fungens pro suprema sua apostolica auc-"toritate doctrinam de fide vel moribus ab universa ecclesia "tenendam definit, per assistentiam divinam ipsi in Beato "Petro promissam ea infallibilitate pollere, qua Divinus "Redemptor ecclesiam suam in definienda doctrina de fide "vel moribus instructam esse voluit, ideoque ejusmodi "Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex con-"sensu ecclesiae, irreformabiles esse."

8. Cui dogmatico decreto subjungit Concilium:—"Si "quis autem huic nostrae definitioni contradicere, quod Deus "avertat, praesumpserit, anathema sit." Vi quorum verborum sectam novam illam quae dum Vaticani Concilii auctoritatem et Summi Pontificis infallibilitatem impugnat, ut fucum imperitis faciat eosque decipiat, nomine veterum Catholicorum se jactat, et infallibili Concilii Œcumenici judicio vanae scientiae figmenta superbe opponit, damnatam et inter haereticas amandandam esse exploratum est.

9. Quoniam vero istius sectae asseclae praetendunt hoc articulo fidei condendo immutatam esse Ecclesiae fidem, abs re non erit animadvertere in hujusmodi definitionibus proponendis nihil in ipso fidei deposito a Christo Domino nostro Ecclesiae Suae concredito innovari. Veritas ipsa definita semper in deposito fidei continebatur, et nihil aliud agit Ecclesia quam ut, graves ob rationes, doctrinam ab initio revelatam et a Christifidelibus saltem implicite creditam, solemniter declaret et explicite in posterum credendam proponat.

10. Catholicorum veri nominis est fidem integre et confidenter tenere et cum opus est profiteri, adeoque eorum exemplum evitare qui ut acatholicis et incredulis placeant, liberales catholicos se vocant. Hi nimirum magisterium

Ecclesiae parvi pendunt, et inter arctissimos limites circumscribunt, Summi Pontificis et Episcoporum hortamenta et consilia fere spernunt, de religione parum caute loquuntur, atque sectas quaslibet in omnibus Ecclesiae Christi aequiparant, quae eorum agendi ratio fidem infirmat, et recta via ad haeresim aut indifferentismum ducit. Catholici veri nominis diversam prorsus viam tenere debent, ante omnia quaerere regnum Dei et justitiam ejus, Ecclesiam diligere, et in ejus prosperitate gaudere, res spirituales rebus temporalibus anteponere et debitum obsequium et obedientiam Ecclesiae ministris et praecipue Romano Pontifici ejusque decretis praestare. Hiberniae nostrae maximo est decori quod, Deo adjuvante, hac sincera et firma fide suffulta, religionem hactenus integram et immaculatam servaverit: Deum precamur ut haec fidei constantia semper retineatur, atque longe a litoribus nostris pseudo-liberalitas ista arceatur, quae ea quae sunt mundi, religioni et animarum saluti anteponit, atque errorem et veritatem pari loco habet.

11. Innumeros fere errores perniciosos et periculi plenos recentioribus temporibus sparsos fuisse scriptis publice editis omnes norunt, quorum plurimos encyclicis aliisque apostolicis litteris proscripsit Summus Pontifex Pius IX. et eorum syllabum quem conficiendum curavit publici juris fecit. Hunc syllabum cum synodi nostrae Actis et Decretis edendum volumus,[1] ut fideles, errorum scopulos agnoscentes, facilius eos evitent, et rectae veritatis semitae insistant.

12. Cum gravissimis vexationibus Episcopi, sacerdotes et populus Catholicus in pluribus regionibus opprimantur, non possumus quin cum eis doleamus, nec omittemus preces omnipotenti Deo fundere, ut eis pacem et libertatem benigne tribuat. Quoniam vero fortiter et constanter pastores et populi istarum regionum proelia Domini proeliantur,

[1] Vide Append. III. pag. 207.

et fides eorum laudibus in universo mundo extollitur, ex corde illis gratulamur, et fore speramus ut tantae et tam praeclarae virtutis spectaculum alios Catholicos in fide confirmet, et hostes ipsos ad agnitionem veritatis perducat.

13. Gratias porro debemus Deo agere eo quod, non solum nobis et genti nostrae pretiosum fidei donum misericorditer contulerit, verum etiam illud inter maximas angustias et diuturnas persecutiones sartum tectumque servaverit, atque hisce nostris temporibus pacem et libertatem non mediocrem religioni tribuerit, dum res Catholicae alibi turbentur, et fideles graviter opprimantur.

14. Faxit Deus ut peccatis et divinae legis oblivione iram Ipsius nunquam provocemus, sed semper bonis operibus abundemus ne forte apud nos religio detrimenti aliquid capiat: morum namque corruptionem et cordis duritiam et animi superbiam fidei fundamenta convellere experientia docet, dum e contra vita innocens et continens cum bonis operibus et humilitate eamdem firmat et auget.

15. Tandem non erit hic inexpediens ut gaudium testemur quod ex definitione Immaculatae Conceptionis Beatissimae Virginis Mariae percepimus, et grati animi sensus Summo Pontifici Pio IX. exhibeamus, eo quod Patronae Hiberniae, Immaculatae scilicet Dei Matri, novos honores decreverit et praeclarum gloriae sertum ejus coronae addiderit. Beatissimam hanc nostram Patronam rogamus ut Pontificem tantum diu protegat, ut Hiberniae fidem perpetuo servet, utque labores quos in hac Synodo pro bono religionis, et animarum salute suscepimus suo potentissimo auxilio adjuvet et fructuosos ac felices efficiat.

VIII.

DE FIDEI PROFESSIONE EMITTENDA.

16. Cum iis, qui corde in fide firmi sunt, et stabiles ad justitiam, ore insuper confessio facienda sit ad salutem; Concilii Tridentini decreto et Constitutionibus Pontificiis adhaerentes, professionem fidei a Pio IV. praescriptam, quam nosmetipsi cum Synodus haec solemniter aperiretur, publice edidimus, et quam huic decreto, ut ad manum habeatur, subnecti curabimus, ab infrascriptis emittendam decernimus. Illam nempe emittant:—

1° Episcopi aliique de clero, recens de beneficiis Ecclesiasticis provisi in Dioecesana Synodo primo celebranda.

2° Dignitates aut Canonicatus obtinentes, post possessionem obtentam, tum in manibus Episcopi vel ejus Vicarii Generalis seu Officialis, tum in Capitulo infra bimestre.

3° Beneficia cum animarum cura recipientes, post possessionem, infra idem tempus in manibus tantummodo Episcopi vel Vicarii Generalis.

4° Item novus Vicarius Generalis.

5° Docentes in Seminariis Theologiam, Philosophiam, jus Canonicum, vel litteras humaniores, omnesque qui ad confessiones audiendas deputantur et Vicarii Parochorum cum primum nominantur ab Episcopo.

Quodsi ii qui de jure tenentur (nam omnes hic recensere nobis necessarium non est), professionem fidei emittere negligant, sciant se subjacere poenis quae adversus contumaces a Concilio Tridentino sess. xxiv., de Reform., cap. i. et xii. et a Pio IV. in Bulla "In Sacrosancta," an. 1564, latae sunt, et aliis Episcoporum arbitrio ferendis.

PROFESSIO FIDEI, JUXTA FORMAM PII. IV. SUPRA MEMORATAM HUJUS TENORIS EST.

Ego, *N.*, firma fide credo, et profiteor omnia et singula,

quae continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur; videlicet:

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum; et ex Patre natum ante omnia saecula; Deum de Deo, Lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de caelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine; et Homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos; cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem; qui ex Patre Filioque procedit: qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum: et vitam venturi saeculi. Amen.

Apostolicas et Ecclesiasticas traditiones reliquasque ejusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto, et amplector.

Item sacram Scripturam, juxta eum sensum quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, et interpretatione sacrarum Scripturarum admitto: nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum, accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novae Legis, a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria; scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam,

Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium, illaque gratiam conferre; et ex his Baptismum, Confirmationem, et Ordinem, sine sacrilegio iterari non posse.

Receptos quoque et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione, recipio et admitto.

Omnia et singula, quae de peccato originali et de justificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium Sacrificium pro vivis et defunctis: atque in sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter, et substantialiter corpus et sanguinem, una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi: fierique conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem; quam conversionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat.

Fateor etiam sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi.

Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari.

Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes, venerandos, atque invocandos esse; eosque orationes Deo pro nobis offerre; atque eorum reliquias esse venerandas.

Firmissime assero, imagines Christi, ac Deiparae semper virginis, necnon aliorum Sanctorum, habendas et retinendas esse; atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo.

Sanctam Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco: Romanoque Pontifici, beati Petri Apostolorum Principis

successori, ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo ac juro.

Caetera item omnia a sacris Canonibus, et oecumenicis Conciliis, ac praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, et declarata, indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas, et rejectas, et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, et anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor, et veraciter teneo, eamdem integram et inviolatam, usque ad extremum vitae spiritum constantissime, Deo adjuvante, retinere, et confiteri; atque a meis subditis, seu illis quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, et praedicari quantum in me erit, curaturum, ego idem, N. spondeo, voveo ac juro. Sic me Deus adjuvet et haec sancta Dei Evangelia.

IX.

DE FIDEI PERICULIS EVITANDIS.

17. Cum fidem omnibus thesauris rebusque humanis longe antehabendam esse pateat, facile est concludere eam omni cautela et vigilantia esse servandam, et evitanda esse pericula quibus exponatur. Scilicet, thesaurum in vasis fictilibus portamus, et vaferrimi hostes generis humani nos perdere quaerentes, insidias nobis struere nunquam desinunt. Cum vero notum sit perditos quosdam homines et Ecclesiae Catholicae infensissimos hostes in quibusdam hujus regni regionibus pecunia, elargitionibus, et omni corruptelarum genere conari, ut pauperiores, et fame et aliis calamitatibus

afflictos Catholicos ab avita fide seducant, quo scilicet eos apostatas, hypocritas, et filios gehennae efficiant, Episcopos illorum locorum et alios omnes viros Ecclesiasticos in Domino hortamur, ut saepissime populo exponant fidei praestantiam, et pericula et damna denuncient quibus apostatae exponuntur. Curent etiam Episcopi ut parochi diligentissime de iisdem rebus agant, utque omni prudentia et charitate se hujusmodi magistris erroris opponant. Hortentur quoque omnes ut saepe mente recolant, quam insigne sit beneficium quod gratuito Dei dono sunt consecuti, dum adhuc tot alii inter quos ipsi vivunt, abdito sane hominibusque impervio consilio, Catholicae Ecclesiae vocem audire recusant. Hac enim ratione fiet ut dum debitas Largitori optimo pro fidei munere grates majori quo valent studio reddant et habeant, auxilium a Deo ad fidem conservandam consecuturi sint, et firmius veritati revelatae adhaesuri.

18. Quo facilius finis imponi possit eorum conatibus, qui fidem Catholicam eradicare conantur hortamur Episcopos, ut quam saepissime optimos divini verbi praecones in loca, si quae sint, ubi praedicti conatus fiant, mittant qui populum fidelem instruant et errores irrepentes refellant. Videant quoque, ut piae sodalitates inter fideles instituantur, quae finem istum habeant ut fidem pauperiorum servent eosque a periculis custodiant.

19. Cumque jam plures ordines religiosi et congregationes inter nos existant, qui in missiones sacras populo tradendas magno zelo et fructu incumbunt, eorum opera et auxilio curent Episcopi ut parochi utantur ad fidem et pietatem promovendam et acatholicorum conatus ad nihilum redigendos. Ne vero aliquid detrimenti ex suspicione turpis lucri sacris missionibus oriatur volumus ut collectae nequidem pro ecclesia aedificanda aut ornanda aut aliis pietatis operibus fiant earum occasione, atque nihil a

populo petatur nisi quod ad expensas missionis necessario requiratur, et modo ab Episcopo approbando. Si quid vero pecuniae super expensas necessarias remaneat juxta Episcopi judicium est applicandum.

20. Optandum quoque est ut libelli pii et qui fidem Catholicam defendunt, quamplurimum disseminentur. Rejiciendi autem omnino sunt libri damnati, et qui ad errores disseminandos conscripti sunt. Hic vero pastores eorumque Vicarios monendos esse arbitramur quantum emolumentum ex Bibliothecis parochialibus rite ordinatis, fidelis populus consequatur; quapropter easdem in singulis paroèciis instituendas volumus; et ubi jam institutae habentur eas omni diligentia fovendas et promovendas hortamur.

21. Catholicos laicos cum acatholicis hortamur de rebus ad religionem pertinentibus non agere. Vetamus ne publice, absque ordinarii licentia, a quovis, sive laico sive clerico, cum iisdem disputationes ineantur: quippe ex ejusmodi disceptationibus vix quidquam boni fructus expectari potest, et ferme semper accidit ut Christiana pax et charitas violentur.

22. Cavendum ne ii qui heterodoxis famulantur, precibus acatholicis a suis heris aut aliis recitari solitis, assistant, aut alia in re fidei detrimentum patiantur. Nisi famuli praedicti jus retineant libere religionem Catholicam exercendi et omnia peragendi quae a Sancta Ecclesia praescribuntur, servitium dimittant quod sine periculo aut conscientiae laesione retinere non possunt.

23. Videant Episcopi ne nautis aut militibus Catholicis, quid impedimenti in religionis officiis exequendis ponatur et plene illa libertate in rebus religionis fruantur quam suprema authoritas illis concedit. Cum enim ii parati sint vitam et sanguinem pro republica tuenda profundere, id certe ipsis debetur ut libere Deo juxta avitae fidei dictamina

inservire possint, quin conscientiae labem inurant. De eorum etiam filiis, praesertim si orphani sint, pia pastorum solicitudo est excitanda, ne aliena religione educentur, et ne scholas frequentare cogantur in quibus libri religioni Catholicae infensi adhibentur. Praecipue vero Capellanorum militarium officium est super hac re invigilare, et ordinarium loci de hujusmodi abusibus, si oriantur, statim commonere, ut possit cum iis qui militibus praesunt de tanto malo tollendo agere.

24. Si qui catholici ex hac in exteras regiones profecturi sunt, eos hortandos esse existimamus, ut in loca minime se conferant ubi copiam exercendi religionem suam non habeant. Antequam vero proficiscantur, cavendum ut Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae suscipiant, utque etiam litteras testimoniales a parochis subscriptas secum deferant, quibus eos baptizatos fuisse constet, necnon solutos esse, prout res se habeat, vel legitimo conjunctos matrimonio.

25. Catholici haereticorum templa invisere ut cultui eorum adsistant omnino prohibentur. Ab haereticorum etiam concionibus audiendis prorsus abstineant, et eorum libros de religione tractantes nunquam legant.

X.

DE SACRAMENTIS.

26. Cum in Ecclesia Dei nihil sanctius aut utilius, nihilque excellentius habeatur, quam sacramenta ad humani generis salutem a Christo Domino instituta, Parochus vel quivis alius sacerdos, ad quem eorum administratio pertinet, semper meminisse debet se sancta

tractare, semperque erga ea quam maximam reverentiam atque devotionem in mentibus fidelium omni conatu fovere. Ritus itaque istos ac caeremonias, antiquitate venerabiles, sacra significatione plenas, quas in Sacramentorum administratione Sancta Ecclesia Christi adhibendas praescribit, omni fidelitate colere atque servare tenetur, prae mente habens S. Tridentinae Synodi verba sess. 7, can. 13: "Si quis dixerit receptos atque approbatos Catholicae Ecclesiae ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit."

27. Ritus omnes praescripti in Rituali Romano, Rubricis Missalis, et Pontificali Romano, pro Sacramentorum administratione, accurate observentur.

28. Volumus ut praxis administrandi Sacramenta in Ecclesiis, ubi existat servetur, et ubi non existat, in quantum fieri potest introducatur.

29. Cum magni momenti sit ut vis, efficacia, et dignitas Sacramentorum, rite a fidelibus intelligatur, ea quae habet S. Carolus in Sacramentali Ambrosiano, seu instructionibus generalibus pro administratione omnium Sacramentorum in mentem parochorum revocamus:—"Sacramenti quod "ministrabit (Sacerdos) vim, rationem, usum, salutaresque "fructus, prout temporis ac personae ratio et praesentium "multitudo tulerit, diligenter explicabit, praesertim Cate- "chismi Romani doctrinis inhaerendo. Cum vero caere- "moniae quae ad Sacramenta adhibentur, mentes illorum qui "eas intuentur accurateque observant ad sublimium rerum "cogitationem erigant, fidemque et charitatem in iis ipsis "excitent, earum etiam vim sanctioresque significationes, "ut diligentissime poterit, idem populo exponet cum usu "venerit." (Acta Eccles. Mediolanensis, Patav. 1754. Fol. Tom. 1, pag. 420.)

30. In oblationibus quae ex veteri et recepto usu fieri solent occasione administrationis quorumdam Sacramentorum, caveant Parochi ne aliquid fiat quod simoniam aut avaritiam sapiat. Sacramenta vero nunquam denegentur eo sub praetextu quod oblationes istae non tribuantur; alioquin noverint delinquentes se ad arbitrium Ordinarii esse puniendos.

XI.

DE BAPTISMO.

31. Sacrum Baptisma, Christianae Religionis et aeternae vitae janua, quod inter alia Novae Legis sacramenta a Christo instituta ratione necessitatis primum tenet locum, cunctis ad salutem necessarium esse ipsa Veritas testatur illis verbis: "Nisi quis renatus fuerit "ex aqua et Spiritu Sancto non potest introire in "regnum Dei." Cum ejus receptio itaque sit summe necessaria clementissimus Dominus omnem hominem rationis compotem, ejus ministrum extraordinarium deputavit. Quam maxima diligentia ideo tenetur parochus providere, ne haec misericors Dei institutio malitia aut incuria hominis suo privetur effectu. Et quoniam plures sunt casus quibus nonnisi in extrema necessitate deceret Sacerdotes operam suam impendere, quales sunt partus praematuri, parturitiones difficiles, et abortus in omni periodo gestationis, in quibus nihilominus Baptisma conferri debet, gravissime onerantur conscientiae eorum qui curam animarum gerunt, instruere et admonere medicos,

obstetrices, aliosque quorum intersit, nullam praeterire occasionem animas a Christo redemptas Illi vindicandi per baptismum.

32. In casu parvulorum expositorum docendi sunt fideles necessitatem afferendi eos statim ac inveniuntur Sacerdoti vel Ecclesiae proximiori, ut sacro fonte abluantur; porro admonendi sunt omissionem hujusce officii paternae charitatis gravem esse culpam, pro qua in die Domini strictam rationem sunt reddituri.

33. Ob praeteritorum temporum calamitates usus in hanc regionem inductus est, Baptisma in domibus privatis conferendi. Cum sine magno incommodo haec consuetudo aboleri nunc possit, praecipimus ut hoc Sacramentum in Ecclesiis in posterum conferatur, nisi infantes ob magnam distantiam ab Ecclesiis vel ob gravem aëris intemperiem ad eas tuto ferri non possint. Si vero urgente mortis periculo, sive parvulus sive adultus, sacris precibus ac caeremoniis praetermissis, fuerit baptizatus, ubi convaluerit vel cessaverit periculum, et ad Ecclesiam delatus fuerit, omissa omnia suppleantur. (Rom. Rit.) Ex decreto vero Sac. Cong. Rituum Sept. 23, 1820, cum sacerdos in casu necessitatis infantem privatim baptizat, caeremoniae quae subsequuntur ablutionem, scilicet, chrismatio, traditio vestis candidae, atque lampadis ardentis, statim post ablutionem adhibendae sunt. Cum formula Baptismi adultorum praecipue in casu conversorum prouti datur in Rituali Romano, experientia parochorum atque missionariorum inveniatur multis difficultatibus et incommodis obnoxia, sentiunt hujus Synodi Episcopi Sanctitati Suae esse supplicandum pro alicujus formae brevioris atque magis accommodatae concessione.[1]

34. In administratione Sacramenti Baptismi meminerint Parochi haereticos nullimode admittendos esse in munus patrini vel matrinae, atque fideles admoneant iis absolute

[1] Vide Append. IV. pag. 222.

prohibitum esse hoc munus suscipere pro filiis haereticorum ab haeretico ministro baptizandis, ut apparet ex Instructione Congregationis S. Off. diei 10 Maii, 1770.

35. Habita ratione naturae ritus purificationis mulieris post partum atque verborum in eo occurrentium, prorsus absona ac abolenda videtur consuetudo illum extra Ecclesiam vel locum ubi sacrum fit perficiendi, nisi periculum mortis imminere videatur.

36. Ad benedictionem post partum jus tantummodo habent mulieres, quae ex legitimo matrimonio pepererunt. (Sac. Cong. Concil, 18 Junii, 1859).

37. Meminerint Parochi Rituale Romanum et Ecclesiae consuetudinem exigere ut aqua in Baptismo adhibenda, infuso oleo et Chrismate benedicatur, vel Sabbato Sancto, vel Sabbato Pentecostis, vel, si necessitas exigat, alio tempore ante Baptismi administrationem. Caveant ut omnia quae ad hujus Sacramenti administrationem in Rituali Romano praescribuntur, accurate serventur.

38. Si quis acatholicus suos infantes Sacerdoti Catholico baptizandos offerat, et spes adsit eos Catholice esse educandos, omnino baptizentur, adhibitis tamen patrino vel matrina Catholica. Quod si infantes hujusmodi in proximo aut probabili mortis sint periculo, Sacerdotes, si occasio se obtulerit, eos baptizare absque ulla dubitatione debent.

39. Baptizantur sub conditione hi qui ad Religionem Catholicam in nostra regione convertuntur,[1] eo quod constet plurimos esse inter Protestantes qui Baptismum nihili faciunt, aliosque esse qui illud haud servata propria materia aut forma administrent. Usum itaque istum retinendum esse volumus, nisi plane constet ex fide dignis testimoniis personam de qua agitur baptizatam valide fuisse.

40. Baptizari sub conditione volumus infantes expositos a parentibus, atque etiam eos qui a nutricibus aut obstetricibus in domibus privatis abluti sunt, nisi simi-

[1] Vide Append. V. pag. 223.

liter fide dignis testimoniis constet baptismum fuisse rite collatum.

41. Occasione Baptismi oblationes quaedam parocho fieri ex vetusta et recepta consuetudine solent. Hanc consuetudinem, secundum praxim dioecesium ab Episcopis probatam, retinendam esse arbitramur. Verum, ne ex alicujus avaritia, abusus hac in re introducantur, et ne Sacramentum ad salutem omnino necessarium alicui non conferatur, nullus Parochus aut ejus Vicarius pactiones de oblationibus praedictis ante Baptismi collationem ineat. Vetamus quoque, et sub poena suspensionis latae sententiae ne infantem baptizare recusent sub praetextu defectus aut subtractionis oblationum praedictarum.

42. Sedulam operam dent Sacerdotes ut quantum poterunt impediant nefandum illud scelus quo, adhibitis chirurgicis instrumentis, infans in utero interficitur. Omnis foetus quocunque tempore gestationis editus baptizetur, vel absolute, si constet de vita; vel sub conditione nisi evidenter pateat eum vita carere.

XII.

DE CONFIRMATIONE.

43. Parochis singulari industria curandum est ut pueri et puellae omnes ad Confirmationis sacramentum recipiendum accedant, quo gratiam ad fidem strenue profitendam accipiant.

44. Juxta praesentem Ecclesiae praxim non confertur sacramentum Confirmationis nisi post septennium aut saltem post adeptum usum rationis. Potest vero ante adeptum usum rationis pueris conferri: 1° si in periculo

mortis constituantur, ne priventur incremento gratiae et gloriae; 2° si probabiliter non sint habituri occasionem hoc sacramentum suscipiendi nisi post multos annos.

45. Nemo ad hoc sacramentum admittatur nisi in doctrina Christiana sufficienter institutus sit: et curent Parochi ut per se vel per vicarios, candidatos per aliquod sufficiens tempus instruant, et ut omnes doli capaces antea ad Tribunal Confessionis accedant.

XIII.

DE EUCHARISTIA.

46. Ad normam Decretalis Innocentii III, in Conc. Lat. IV., editi, statuimus ut magna cura et sub fideli custodia, clavibus adhibitis, SS. Eucharistia conservetur.

47. Ne autem diutius asservatae corrumpantur particulae, a Parochis et aliis sacerdotibus ad quos spectat, renovandae sunt octavo quolibet die: sacra ciboria eadem occasione purificentur. Novas consecratas hostias non licet cum veteribus miscere. (S. R. C. 3 Sept., 1672).

48. In omnibus indiscriminatim sacris aedibus nequaquam permittitur asservare SS. Eucharistiam. Ecclesiae Cathedrales, Parochiales, et si quae sint in quibus, ex consuetudine immemorabili, assidue hactenus asservata fuerit, hoc jure fruantur. In reliquis Ecclesiis, nisi adsit privilegium Apostolicum, servari non potest.

49. In Ecclesiis in quibus SS. Eucharistia asservatur diu et noctu una saltem lampas semper accensa colluceat.

50. Sedulam dent operam Parochi, ut fideles Christum sub speciebus Eucharisticis in templis delitescentem fre-

quenter invisant, pronique adorent ac venerentur, ac ea propter, Ecclesiarum suarum fores patentes, saltem per aliquot horas, singulis diebus relinquant, ubicumque id commode et sine ullo irreverentiae periculo fieri potest.

51. Tempus paschale pro tota Hibernia, ex indulto Pauli V., a die Cinerum usque ad diem Ascensionis Domini extendebatur. Cum vero ob multitudinem fidelium, intra illud tempus omnes praeceptum adimplere non possent benigne indulsit praesens Pontifex ut idem tempus usque ad octavam Festi SS. Apostolorum Petri et Pauli extenderetur.[1]

52. Parochi tempore aestivo cujuslibet anni pueros eos qui ad primam Communionem accedere volunt, aliquamdiu per se vel per suos Vicarios erudiant de natura, virtute, effectibusque SS. Eucharistiae ac de necessariis ad illam rite et digne suscipiendam dispositionibus.

53. Missa in qua prima vice pueri Sacra Synaxi reficiuntur, ea qua fieri potest maxima solemnitate celebretur.

54. In eadem infirmitate, si longius protrahitur, parochi saepius sacro Viatico aegrotos reficiant, cum illud iterum et saepius licite dari possit. In delatione Sanctissimi ad infirmos, caveant Sacerdotes, ne aliis negotiis sese indecenter immisceant; et prorsus abstinendum est ab abusu a Sac. Cong. de Prop. Fide reprobato (Feb. 25 an. 1859), "ut "sacerdotes SS. Sacramentum a mane usque ad vesperam "secum deferant, ea tantum de causa, quod in aliquem forte "aegrotum incidere possint."[2]

55. Benedictio Solemnis cum SS. Sacramento dari potest singulis Dominicis et diebus Festis, nisi aliter ab Episcopo statuatur.

56. Sacerdotes diligenter se disponant Sanctissimi Sacrificii celebrationi, et debitas postea gratias semper agant.

57. Ne liceat unquam Sacerdotibus sine veste talari Missam celebrare.

[1] Vide Append. VI. pag. 227. [2] Vide Append. VII. 228.

58. Sacra supellex in hoc incruento Sacrificio adhibenda, si pretiosa, ut par esset, haberi nequeat, munda saltem et nitida sit, et convenientis materiae et praescriptorum colorum: non sordida, non obsoleta, neque indecenter compacta. Episcopi mandent suis Vicariis Foraneis, ut non solum tempore visitationis, sed et aliis statis temporibus, denuncient sacerdotes quos hac in re graviter negligentes deprehenderint.

59. Calices sint aurei vel argentei: vel saltem cuppa quae debet esse intus deaurata, sit argentea.

60. Nulli lapides sacri in posterum consecrentur nisi sint justae magnitudinis et commode calicem, sacram hostiam, et pyxidem continere valeant.

61. Cum Missa celebratur, colluceant duae saltem candelae cereae.

62. Maximam diligentiam adhibeant sacerdotes ut panis consecrandus sit recens, purus et albus. Hostiae pro communione populi sint rotundae et non nimis parvae. Curent Episcopi ut ratio aliqua adhibeatur qua vinum sincerum pro Missae celebratione obtineatur, utque sacerdotes nullum aliud adhibeant. Ob frequentem corruptionem tum farinae triticeae tum vini quae hodie obtinet, hoc statutum omni rigore urgendum est.

63. In oppidis ubi adest copia Sacerdotum Missa sit quotidiana et hora fixa, ad fovendam pietatem fidelium.

64. Missae post meridiem non celebrentur, nec in aedibus privatis nisi de speciali et expressa Episcopi licentia.

65. In sacro peragendo nullus sacerdos saecularis ritus alios aut alias caeremonias et preces adhibeat praeter eas quae in Missali Romano praescribuntur.

66. Onera perpetua Missarum a nullo rectore Ecclesiae, aut alio sacerdote saeculari suscipiantur, nisi specialis ab ejus Ordinario ad id concessa fuerit licentia.

67. Missa bis in Dominica vel die festo non celebretur, nisi Episcopus id necessarium existimaverit, et, vi facultatis a S. Sede sibi concessae, fieri permiserit.[1]

68. Quando vero ob peculiares casus et necessitatis causa ab ipso examinata Episcopus parochis facultatem secundam Missam eadem die celebrandi concedit, eos admoneat ne eleemosynam aut stipendium a quovis vel quocumque praetextu pro ea percipiant juxta decreta alias edita a Sacra Congregatione (S. C. C. 25 Sept., 1858, citans Bened. XIV. Constitutionem—*Declarasti* an. 1746; et literas circulares de Prop. Fide 15 Oct. 1863). Habita tamen ratione circumstantiarum quarumdam missionum Summus Pontifex earum ordinariis benigne indulsit "ut justa et gravi causa "intercedente sacerdotes sibi subditi hujusmodi stipendium "possint ac valeant percipere." Haec permissio ad Hiberniae praesules extenditur.

69. Censent hujus Synodi Episcopi Sanctitati Suae esse supplicandum ut relinquatur ordinariorum arbitrio determinare quatenus in diebus festis suppressis parochi ad obligationem Missam celebrandi in suis Ecclesiis aut eam pro populo offerendi adstringi debeant.[2]

70. Etsi privatae seu non solemnes missae defunctorum, etiam praesenti cadavere, in festis duplicibus, rubricis excludantur, speciali Indulto Apostolico 29 Jun. an. 1862, concessum est omnibus Hiberniae praesulibus missam privatam die depositionis permittere omnibus diebus, exceptis duplicibus 1ae vel 2ae classis, Festis de praecepto servandis, feriis, Vigiliis et octavis privilegiatis.

71. Notandum: in Missis *de Requiem* communicari possunt fideles ex particulis in praevia Missa consecratis. Potest etiam celebrans in vestimentis nigris, ex causa sufficienti, Tabernaculum aperire et sacram communionem distribuere, immediate ante vel post Missam, sed in neutro

[1] Vide Append. VIII. pag. 232. [2] Vide Append. XVIII. pag. 300.

casu danda est benedictio. (Dec. Sac. Cong. Rit. Jun. 27 an. 1868.)

72. Nullus cantus nisi gravis, et ecclesiasticus, in Ecclesiis adhibeatur. Rectores Seminariorum curent, propositis etiam praemiis, ut alumni in Cantu gravi et ecclesiastico bene instituantur, utque sacras caeremonias probe ediscant.

73. Libri vero chorales et liturgici nuper Ratisbonae a Pustet, Bibliopola Catholico, editi in missis et vesperis cantandis tam in Seminariis quam Ecclesiis posthac quamprimum adhibeantur. Hi nempe libri a Sm̃o Dño Pio IX. plurimum commendantur eo quod in eis ad normam veterum manuscriptorum Ecclesiae Romanae verus et genuinus cantus Gregorianus tradatur et "eo vel magis, ut "addit idem Pontifex, quod sit nobis maxime in votis, ut "cum in caeteris quae ad sacram liturgiam pertinent, tum "etiam in cantu, una cunctis in locis et dioecesibus, eadem-"que ratio servetur, qua Romana utitur Ecclesia." (Ep. Pii PP. IX. 30 Maii, 1873.)

74. Intra Missarum solemnia nihil nisi Latine cantetur. Dum missa privata legitur aut alio tempore in ecclesia nihil canendum est nisi quod in ecclesiasticis libris probatis inveniatur, aut ab ordinario fuerit permissum.

XVI.

DE POENITENTIA.

75. Statuimus ut in omnibus Ecclesiis, in quibus forsan desint, habeantur sedes confessionales, eaeque cratibus informatae.

76. Hortamur Parochos ut, quantum fieri potest, confessiones in ipsis ecclesiis audiantur, et nullibi audiantur nisi in locis decentibus et januis patentibus: mulierum vero, praeter casum necessitatis, nonnisi in Ecclesia, et ad sedem confessionalem.

77. Cujus decreti Thurlesiensis menti inhaerentes, ut verbis utamur S. Congregationis de Prop. Fide, *vetamus ne in vicis et oppidis ubi adsunt ecclesiae, et in locis omnibus quae prope distant ab ecclesiis, stationes pro confessionibus audiendis tam virorum quam mulierum in domibus privatis fiant, sed stationes in ipsa ecclesia teneantur.* Ubi vero necessariae sint stationes, curent Episcopi ut omnia rite et debita cum reverentia peragantur.

78. Caveat etiam sacerdos ne statim post missam stationis peractam fideles ad saecularia transeant: sed ipse pro eis aliquas preces per modum gratiarum actionis alta voce recitet.

79. Stola violacea et vestis talaris adhibeantur a sacerdotibus cum confessiones in ecclesiis aut stationibus excipiunt.

80. Sacerdotes ad confessiones excipiendas, ab ordinario in qualibet dioecesi approbati, et jurisdictionem consecuti, possunt valide et licite quoslibet poenitentes ad se in locis jurisdictionis suae confluentes absolvere, sive sint ex sua, sive sint ex aliena dioecesi aut paroecia, dummodo in fraudem legis seu reservationis non adveniant.

81. Idem dicendum est de confessionibus fidelium quae ad praeceptum semel in anno confitendi adimplendum fiunt.

82. Volumus ut omnia quae a Romanis Pontificibus, et praesertim a Benedicto XIV., in Bullis quae incipiunt, "*Sacramentum Poenitentiae,*" et "*Apostolici Muneris*" de solicitatione sunt praescripta, accurate observentur.

83. Curent Episcopi ut parochi eorumque Vicarii

statutis quibusdam diebus et horis populo opportunis, praesertim sabbatis et vigiliis festorum in singulis hebdomadibus in Ecclesia publica ad confessiones audiendas se sistant.

84. Hortentur quoque parochi fideles ut quam saepissime ad hoc sacramentum accedant.

85. Hortamur parochos ut praeter consuetas stationes habeant alias aliquoties, et saltem semel in anno, in Ecclesia parochiali, ad quas presbyteros viciniores seu extraneos convocare expedit.

86. Cum casus reservati, si numerosiores sint, plus molestiae ipsi confessario quam delinquenti, ordinarie afferant, haec synodus vult eos ad crimina atrociora arctari quae necessitate disciplinae Praesules sibi reservanda esse judicant. Perutile esset quoque ad sedanda dubia atque anxietates quorumdam confessariorum ut non solum natura peccati reservati distincte exhibeatur, sed etiam circumstantiae ac conditiones sub quibus, ex intentione superioris non reservatur—v.g. si in prima confessione, si in Confessione generali, si occasione itineris aut navigationis longae, si cum adest in peccante ignorantia reservationis, &c. Casus reservatus in dioecesi confessarii non subtrahitur reservationi ea de causa quod non reservetur in dioecesi poenitentis.

87. Ad frequentem confessionem sedulo adhortentur parochi suae curae commissos fideles, et omnimode promoveant utriusque sexus confraternitates quae praxim mensilis confessionis et communionis tanquam regulam habent.

88. Omni solicitudine praeparent parvulos ad suas primas confessiones atque aliquod tempus anni, pro populi sui circumstantiis, seligant, in quo huic officio convenienter incumbere valeant. Hae instructiones praeparatoriae multo majore proventu atque meliore fructu in Ecclesiis impertiuntur.

89. Unde hortamur ut diebus et horis statutis et ad regulas scholarum accommodatis, saepe habeantur in Ecclesiis aut in sacellis stationes, ad quas convocentur pueri et puellae, separatim ab adultis, ad confessiones faciendas.

90. Denique audiantur Summi Pontificis, Leonis XII. verba quibus totum officium Confessariorum quasi in compendio proponitur:—

"Curandum sedulo vobis (Episcopis) est ut ii quos ad "confessiones audiendas deligetis, ea meminerint ac prae-"stent quae de ministro Poenitentiae praecipit Praedecessor "noster, Innocentius III., ut, scilicet, sit discretus et cautus, "ut modo periti medici similiter infundat vinum et oleum "vulneribus sauciati, diligenter inquirens et peccatoris cir-"cumstantias et peccati, per quas prudenter intelligat quale "illi debeat consilium praebere et ejusmodi remedium ad-"hibere, diversis experimentis utendo ad sanandum aegrotum, "habeatque prae oculis documenta illa Ritualis Romani; "videat diligenter sacerdos, 'quando et quibus conferenda, "vel neganda vel differenda sit absolutio, ne absolvat eos qui "talis beneficii sunt incapaces, quales sunt qui nulla dant "signa doloris, qui odia et inimicitias deponere, aut aliena, "si possint, restituere, aut proximam peccandi occasionem "deserere aut alio modo peccata derelinquere, et vitam in "melius emendare nolunt; aut qui publicum scandalum "dederunt nisi publice satisfaciant et scandalum tollant.' "Quae quidem nemo non viderit quam longe ab eorum ratione "distant, qui ut gravius aliquod audiunt peccatum aut aliquem "sentiunt multiplici peccatorum genere infectum, statim "pronunciant, se non posse absolvere; eis nempe ipsi mederi "recusant, quibus maxime curandis ab Eo sunt constituti "qui ait: 'non est opus valentibus medicus, sed male haben-"tibus'—aut quibus vix ulla scrutandae conscientiae dili-"gentia, aut doloris aut propositi satis videtur significatio

"ut absolvere se posse existiment, ac tum demum tutum se "cepisse consilium putant, si homines in aliud tempus ab- "solvendos dimiserint. Si enim ulla in re servanda est "mediocritas, in hac potissimum servetur, necesse est: ne "vel nimia facilitas absolvendi facilitatem afferat peccandi, "vel nimia difficultas alienet animos a confessione, et in "desperationem salutis adducat. . . . Imparati illi tantum- "modo sunt judicandi, non qui vel gravissima admiserint "flagitia, vel qui plurimos etiam annos abfuerint a confes- "sione:—'Misericordiae enim Domini non est numerus, et "bonitatis infinitus est thesaurus:'—vel qui, rudes condi- "tione aut tardi ingenio non satis in seipsos inquisierint, "nulla fere industria sua, id sine sacerdotis ipsius opera "assecuturi; sed qui, adhibita ab eo necessaria, non qua "praeter modum graventur, in iis interrogandis diligentia, "omnique, in iisdem ad detestationem peccatorum excitandis, "non sine fusis ex intimo corde ad Deum precibus, exhausta "charitatis industria, sensu tamen doloris ac poenitentiae "quo saltem Dei gratiam in Sacramento impetrandam dispo- "nantur, carere prudenter judicentur." (Encyclica S.P. Leonis XII., qua Jubilaeum an. 1825, promulgatum est.)

XV.

DE CENSURIS.

91. Apostolis eorumque successoribus potestatem delinquentes censuris aliisque poenis spiritualibus coercendi, a Christo Domino concessam esse omnes norunt. Quam quidem potestatem Romanus Pontifex per Ecclesiam uni-

versam exercet, Episcopi autem in sua quisque dioecesi, Vicarius Episcopi Generalis cujus cum Episcopo unum idemque est tribunal; necnon Praelati regulares in suos subditos.

92. Quamvis haec potestas, ut verbis Concilii Tridentini utamur, nervus sit ecclesiasticae disciplinae et ad continendos in officio populos valde salutaris, sobrie tamen magnaque circumspectione exercenda est, cum experientia doceat, si temere aut levibus ex rebus exerceatur, eam contemni magis quam formidari, et perniciem potius parere quam salutem. (Vid. Conc. Trid. sess. xxv. cap. 3 de Ref.)

93. Gravibus igitur verbis Ecclesiae Praesules monet Benedictus XIV. non expedire ut hoc suae potestatis gladio utantur nisi ad coercenda crimina graviora. (De Syn. Dioec. lib. x. cap 1, n. 3.) Neque abs re erit hic commemorare verba quibus idem Pontifex hoc suum monitum uberius declarare prosequitur: "Scimus profecto necesse "non esse ut ante superioris legem qua aliquid sub censura "prohibetur, illud jam esset lethaliter malum; sed quam"doque contingere tunc primum graviter malum fieri cum a "Superiore prohibetur sub poena censurae, quae certe ejus "intentionem ostendit obligandi sub mortali. At non decere "dicimus ab Episcopo aliquid sub gravi praecipi vel prohiberi, "statuta in transgressores censura, nisi materia praecepti "sive ratione sui, sive ratione circumstantiarum . . . . . "talis et tanta sit ut hanc poenam exposcat." (Id. ibid).

94. Quod vero, ut cum eodem Pontifice iterum loquamur "si omnium consensu, grave et enorme crimen requiritur "ad irrogandam censuram, etiam quam vocant *commina"toriam* et *ferendae sententiae*, multo sane gravius et "execrabilius esse oportet delictum ob quod infligatur "censura *latae sententiae* qua nimirum homo per solam "legis transgressionem nulla praevia monitione, ejusdem "legis ministerio statim perstringitur." (Id. ibid. n. 5.)

95. Sapienter insuper in Ecclesiae canonibus provisum est, ordinem quemdam judiciarium in his poenis adversus legis transgressores infligendis servandum esse, quo plenius exquiratur causae veritas atque libera sese defendendi facultas reo tribuatur. Quandoque tamen fas est absque hujusmodi judicii forma atque inspecta sola facti veritate, reos ferire. (Conc. Trid. sess. xxv. de Ref., cap. 14).

96. Huc spectat facultas illa suspensionem, ut aiunt, *ex informata conscientia,* in quibusdam rerum adjunctis infligendi, quae ex quodam Concilii Tridentini decreto derivata, a Sacra Congregatione ejusdem Concilii interprete iterum ac saepius exposita est. (Concil. Trid. sess. xiv. de Reform. cap. 1: Decret. S. C. Concil. 24 Nov., 1657: 16 Dec., 1730: 20 Aug. 1735: Ben. XIV. De Syn. lib. xii., c. 8, n. 3). Neque tamen ita concessa est haec facultas ut Episcopo ea uti liceat nisi, causa bene perpensa, ipsi constet crimen iis momentis confirmari quae ad Sanctam Sedem, si opus fuerit delata, reum dignum fuisse demonstrent qui poena tam gravi plecteretur.

97. Quod demum spectat ad censuras a suprema Romani Pontificis auctoritate statutas quae per universam vigent Ecclesiam, eae quidem in variis olim juris canonici locis dispersae existebant. Cum autem eae quae per modum *latae sententiae* seu *ipso facto* incurrendae, per singulas aetates promulgatae magnum ad numerum sensim excrevissent, quaedam etiam, temporibus moribusque mutatis, a fine atque causis ob quas impositae fuerant, vel a pristina utilitate atque opportunitate excidissent, eamque ob rem non infrequentes orti essent, sive in iis quibus animarum cura commissa est sive in ipsis fidelibus, dubietates angoresque conscientiae, his malis occurrere volens Summus Pontifex Pius PP. IX. hodie feliciter regnans, novam, ut ipse exponit, Constitutionem *Apostolicae Sedis moderationi* die 12 Octobris, 1869, edidit, qua omnes recensendo censuras quotquot ipso facto incurrendas servari et retineri voluit,

caeteras quasvis abrogavit, ita ut ex quibuscunque censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae hactenus Romani Pontificis auctoritate impósitae erant, nonnisi illae quae in hac ipsa Constitutione inseruntur, eoque modo quo inseruntur, robur exinde haberent. (Vid. *Constit. Apostolicae Sedis*, Prooem.) Quae igitur Constitutio ut typis una cum Actis et Decretis Synodi nostrae ederetur, in hujus voluminis Appendice inserenda, ut clerus noster accuratum istarum censurarum elenchum prae oculis habeat, curare, nostri muneris esse judicavimus.[1]

98. Episcopi cujusque cura erit ut conficiatur atque singulis sacerdotibus ad confessiones in sua dioecesi excipiendas approbatis tradatur tabula in qua omnia quotquot in dioecesi reservantur peccata, sive absque censura sive cum censura iis annexa, accurate ac nitide recenseantur. Quae quidem tabula una cum facultate confessiones excipiendi singulis etiam sacerdotibus in posterum approbandis tradatur.

XVI.

DE EXTREMA UNCTIONE.

99. Extremae Unctionis Sacramentum, in solatium aegrotorum a Domino institutum, non animae solum sed etiam corpori interdum salutare, omni diligentia cuilibet Catholico gravi morbo periclitanti administrandum est. Quod si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint: iterum hujus sacramenti subsidio juvari poterunt cum in aliud simile vitae discrimen inciderint.

[1] Vide Append. X. pag. 251.

100. Oleum Infirmorum quemadmodum Oleum Catechumenorum et Sanctum Chrisma in vasculis argenteis contenta in loco proprio, honesto et mundo, sub clavi asservari debent, et nunquam a loco in locum a laico deferantur.

101. Utilissimum fore censemus librum aliquem in singulis Parochiis confici, e quo Sacerdotes, et praesertim Parochi, accurate cognoscere possint quinam sint qui in Parochia aegrotent, et hoc sacramento vel aliis indigeant.

102. Statim ac pueri, rationis compotes, judicantur doli et culpae capaces, si in gravem incidant morbum, poterunt infirmorum oleo liniri. Quandocunque censentur capaces sacramenti poenitentiae, sunt pariter idonei reputandi ad Extremam Unctionem, quae est illius complementum, quamvis nondum tanta polleant judicii maturitate ut videantur apti ad rite participandam Eucharistiam, de cujus ineffabili excellentia non ita facile edoceri queunt. (Bened. XIV. Synod. Dioeces. lib. 8, cap. 6. n. 2.)

103. Orationes et Unctiones omnes juxta normam Ritualis Romani in Sacramento hoc conferendo perficiantur.

104. Cum hoc Sacramentum administratur, nulla a fidelibus oblatio petatur.

XVII.

DE MATRIMONIO.

105. Parochi moneantur ea accurate servare quae in Rituali Romano de Matrimonio contrahendo praescripta sunt. Caveant imprimis ut uterque contrahentium sciat rudimenta fidei, cum ea deinde filios suos docere debeant.

106. Admoneant conjuges, ut antequam contrahant, sua peccata diligenter confiteantur et ad SS. Eucharistiam atque ad Matrimonii sacramentum accipiendum pie accedant ; et

quomodo in eo recte et Christiane conversari debeant, diligenter eos instruant.

107. De vagis statuimus ut ea quae in Concilio Tridentino praescripta sunt observentur. Magnam curam adhibeant Parochi ut certiores de eorum statu libero efficiantur;[1] nam, ut ait Concilium, "ut improbi sunt ingenii, prima relicta "uxore, aliam et plerumque plures, illa vivente, diversis in "locis ducunt."

108. In hac regione solent parochi litteras testimoniales de statu libero viris matrimonium contracturis hac vel simili forma tradere. "Lator N.N. liber est ad matri-"monium contrahendum cum quavis muliere similiter "libera." Declaramus hujusmodi litteras non esse habendas ut continentes sufficientem delegationem vi cujus quilibet indiscriminatim sacerdos praesit latoris matrimonio.

109. Matrimonia fidelium, extra casum necessitatis vel gravem aliam causam per Episcopum definiendam, fiant semper in Ecclesia.

110. Sacerdotibus omnibus hujus regionis in memoriam revocamus, antiqua Ecclesiae lege, quam SS. Pontifices non desierunt inculcare, vetari matrimonia Catholicorum cum Acatholicis; cum sanctitas sacramenti postulet ut uterque fide et aliis animi dispositionibus, gratiae sacramenti suscipiendae idoneus sit, et plura graviaque incommoda et mala ex hujusmodi connubiis saepe sequantur, nempe, discordia domestica, et Catholicae partis et prolis perversio. "Quod "si rerum adjuncta aliquando suadeant ex auctoritate Apos-"tolica ea esse permittenda, imprimis curandum erit ut con-"scientiae securitati et libero religionis exercitio a Catholica "parte consulatur, sicut et prolis utriusque sexus in fide "Catholica educationi, solemni coram Deo promissione iis "de rebus emissa: secus nullatenus licebit sacerdoti iis "connubiis adstare. Meminerint insuper sacerdotes pluri-

[1] Vide Append. XI. pag. 263.

"bus SS. Pontificum decretis vetari ne ullus sacer ritus "fiat, vel vestis sacra adhibeatur, dum foedera hujusmodi "ineantur, quae neque intra Ecclesiam ineunda sunt." (Excerpta ex Conc. Provin. Baltimorensi 4°).

111. Si quis sacerdos, cujus erit matrimonio assistere, adeo fuerit sui sancti officii immemor ut recuset matrimonium celebrare, nisi obtenta prius aut saltem promissa certa quadam pecuniae summa, vel alia re pretio aestimabili, suspensionem suo Ordinario reservatam ipso facto incurrat.

112. Ad litteras vero testimoniales "liberi status" quod attinet, id unum opportunum declarare ducimus, nihil nempe pro hujusmodi scriptis in posterum exigi posse praeter id quod ab unoquoque Episcopo in sua Synodo Dioecesana solvendum statuatur.

XVIII.

DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM.

113. Cum laqueus ruinae populi sit sacerdos malus, salus vero gregis integritas pastoris, studeant clerici, memores vocationis qua illos dignatus est Deus, ita vitam moresque componere ut sint in omni loco bonus odor Christi, facti forma gregis ex animo—nec communem fidelium vitae honestatem sibi sufficere existiment, sed eluceat in iis totius forma justitiae; et in alto gradu positi, in sublimi quoque virtutum culmine sint erecti, *ut sicut sacro ordine a reliquis hominibus sejuncti sunt, ita a communis fidelium vitae usu sejuncti, praecipuum quoddam atque hoc praestantius vivendi genus sequantur quo ordinis dignitate praecellunt.* (S. Car. Borrom. Conc. Mediol. iv., Monit. vii.) "Nihil "est," prout sapienter monent Patres Tridentini, "quod "alios magis ad pietatem ac Dei cultum assidue instruat,

" quam eorum vita et exemplum qui se divino ministerio " dedicarunt. Cum enim a rebus saeculi in altiorem sublati " locum conspiciantur, in eos tanquam in speculum reliqui " oculos conjiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur. " Quapropter sic decet omnino clericos in sortem Domini " vocatos vitam moresque suos omnes componere; ut habitu, " gestu, incessu, sermone aliisque omnibus rebus, nil nisi " grave, moderatum ac religione plenum prae se ferant: " levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant, " ut eorum actiones cunctis afferant venerationem." (Conc. Trid. sess. xxii. de Reform, c. i.)

114. Fugiant igitur clerici ea omnia quae non solum deturpant, verum etiam dedecent illos qui in terris pro Christo legatione funguntur.

115. Convivia saecularium frequentiora praesertim intempestiva, haud aucupentur nec ament, memores istius S. Hieronymi consilii: "nunquam petentes, raro accipi- " amus rogati."

116. Ab omni specie intemperantiae et ebrietatis, omnium vitiorum fomitis ac nutricis, prorsus abhorreant. Tanquam medium perutile temperantiam fovendi et fidelium animos ad amorem hujusce virtutis alliciendi, enixe hortamur nostros sacerdotes a potu inebrianti, etiam in modica quantitate, saepe praesertim sumpto, caute abstinere. Hospitia et cauponas non ingrediantur. Si quis vero ebrietatis praesertim publicae reus fuerit, illum ecclesiasticis poenis graviter plectendum esse declaramus.

117. Choreas et saltationes tam publicas, quam privatas omnino fugiant, nec eas instituant, nec ullo modo promoveant clerici sive saeculares sive regulares.

118. A publicis equorum cursibus, a venatione quae fit cum magno clamore, equis et canibus, et a theatrorum publicorum quorumcunque spectaculis, etiam iis quae nuncupantur *opera* scenica et *circus* equestris, prorsus absti-

neant. Si quis vero clericus sive saecularis sive regularis hanc legem violaverit, suspensionem ipso facto incurrat.

119. Cum in chartis lusoriis haud modicum aliquando tempus teratur et desidia turpiter foveatur, caute admodum adversus hujusmodi lusum se munire debet sacerdos praesertim ubi de pecunia agitur, ne aleatoris illi nota inuratur.

120. Conviviorum festivitatem ad intempestam noctem producere viro ecclesiastico omnino indignum judicamus: nec cum debita ad orationem attentione, nec cum decenti ac devota sacrorum mysteriorum celebratione ullo modo conciliandum: et districte prohibemus ne sacerdos aliquis chartarum vel alios hujusmodi lusus ad multam noctem protrahat.

121. Ab omni luxu et fastu mundano sacerdotes se alienos omnino ostendant, memoria retinentes se esse ministros illius, qui his in terris degens non habebat ubi caput reclinaret.

122. Omne studium et gloriam suam non in luxu et fastu proprio, nec in divitiis mundanis, sed in eo reponant ut domus Dei rite ornata, et omni decore plena sit, utque vineae spirituales sibi commissae virtutibus floreant, et opportuno tempore dent fructum suum.

123. Licet habitus non faciat monachum, tamen clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre oportet, ut per decentiam habitus externi morum honestatem internam ostendant. Clericorum itaque vestitus nec sordes nec luxum sapiat, sit semper nigri vel subnigri coloris, et ejusmodi ut facile ejus ope viri ecclesiastici ab aliis omnibus distinguantur. Decernimus ut omnes clerici *Collare Romanum* deferant etiam extra propriam dioecesim. Volumus ut in omnibus collegiis ecclesiasticis, Superiores, Professores, et Alumni statui clericali destinati intra moenia collegii, et sacerdotes omnes saeculares in domibus

suis, quantum fieri potest, veste talari, vulgo dicta *soutane* induantur.

124. Gestare Collare Romanum, quod merito vocatur *Sacerdotum insigne,* omnibus laicis catholicis etiam si sint religiosi laici, omnino interdicimus.

125. Alte animo infixum habeant sacerdotes in vanum se sibi proponere eximiam istam virtutem castitatis, sacerdotii decus et ornamentum, intactam servare, si cum mulieribus, etiam devotis nimiam consuetudinem, nedum familiaritatem, colere velint. Quisnam Samsone fortior, Davide sanctior, Salomone sapientior? Et quia sacerdotes, non solum innocentes, verum etiam ab omni mali suspicione immunes esse debent, ancillae quae illis ministrant, sint aetate provectiores, spectatae morum honestatis, et quae nulli incontinentiae suspicioni locum praebere possint.

126. Nullus parochus vel vicarius retineat in domo sua familias affinium aut consanguineorum. Quod si in eadem domo cum parocho habitent ejus coadjutores seu vicarii, volumus ut parochi in praedicta domo nullo modo consanguineas vel affines juniores retineant, nisi permittente Ordinario.

127. Nullus sacerdos in domo conducta aut privata resideat absque praevio Episcopi consensu.

128. Caritatem vero imprimis foveant qua tanquam discipuli Christi dignoscantur, scientes fructus eo uberiores ex laboribus suis esse proventuros quo arctiori pacis et charitatis vinculo adstringuntur: ab obtrectationibus omnino abstineant, nec invidos illos spargant sermones, praesertim coram laicis quibus fama et existimatio illorum etiam leviter laedatur, qui ejusdem ministerii sunt consortes. Hortamur ut lites et jurgia inter se de rebus politicis in conventibus publicis, et magis adhuc in foliis seu ephemeridibus publicis, non ineant sacerdotes, ne dignitas sacerdotalis aliquid detrimenti capiat, ne charitas illa, quae

robur Ecclesiae est, violetur, et ne rixis et contentionibus cum aliis implicentur. Quaecunque denique vera, quaecunque pudica, quaecunque sancta ac religiosa, ea cogitent eaque agant.

129. Et ne tentationibus et periculis quae undique grassantur succumbant, ut labores et onera Ordinis clericalis strenue perferant, ut ex oratione hauriant quod in populum refundant—ut gratias uberes in oves sibi commissas a Patre luminum descendere faciant—orationi indesinenter insistant, et mentalem, sine qua Pastor animarum salutem vix consequi potest, quotidie exercere non omittant. Volumus igitur ut mane ad semihoram in pia oratione sese semper exerceant.

130. Et quoniam ordo, juxta S. Augustinum, dux est ad Deum, ideo quam maxime consulendum videtur, ut officia quotidie peragenda certo aliquo ordine, quantum fieri potest, disponat sacerdos—ita ut ipsi tempus suppetat vacandi orationi necnon studio et meditationi sacrarum litterarum, praecipue S. Scripturae et Theologiae Moralis. Optandum quam maxime est, ut horam aliquam parochi statuant, qua in suis domibus singulis diebus vespertino tempore tertia pars Rosarii, assistente tota familia, recitetur, et aliae preces vespertinae peragantur.

131. Frequentem Sanctissimae Eucharistiae visitationem omnibus sacerdotibus enixe commendamus, necnon singularem cultum erga SS. Cor Jesu, cui tota Hibernia, Dominica Passionis, 1873, solemniter dedicata est, simulque singulare obsequium erga Dei Matrem Immaculatam, castissimumque ejus Sponsum S. Josephum qui Patronus Ecclesiae Universalis a Summo Pontifice nuper declaratus est.

132. Et quoniam cavendum est illis qui inter tot inquinamenta vitiorum et rerum mundanarum tumultus, ministeriis exterioribus necessitate officii sunt addicti, ne tepescat ardor spiritus, aut sordescat nitor animae, ideo, ad pietatem

refovendam et gratiam Spiritus Sancti resuscitandam praecipiendum judicamus, Parochis et Coadjutoribus, annis vel singulis, vel saltem alternis, in secessum spiritualem convenire, ubi ad rerum aeternarum meditationem, ad vitam priorem emendandam, et perfectionem promovendam animos sedulo intendant. Hortamur etiam in Domino omnes ecclesiasticos, praesertim Sacerdotes ut peccata sua, etiam qualibet hebdomada, confiteantur quando sine gravi incommodo id fieri poterit.

133. Et quoniam ea quae in scholis didicerunt, ex memoria facile excidunt, nisi usu constanti recolantur, ideo collationes theologicas saltem quater, juxta consuetudinem hic ubique vigentem, singulis annis indicendas consulimus, in quibus de iis quaestionibus tractetur quae ad praxim praecipue pertinent. Illis collationibus tum parochi, tum coadjutores, tum etiam regulares respondere parati adesse teneantur: nec studio disputandi, sive quaestiones inutiles aut vanos sermones intermiscendi, exercitia theologiae tam fructuosa perturbare alicui permittatur.

134. Lectioni praeterea attendant, et supellectilem librorum ecclesiasticorum sibi comparent; saltem sacra Biblia, et unum integrum Theologiae cursum, Canones Concilii Tridentini, Catechismum Romanum, et vitas Sanctorum habeant et assidue versent.

135. Hortamur vero omnes Sacerdotes ut a libris romanticis aliisque qui ad passiones inflammandas conscripti sunt, nec non a libris quibus religio ludibrio vertitur, aut in quibus doctrinae periculosae insidiose et latenter inculcantur, omnino abstineant.

136. Presbyteri, excepto casu necessitatis, sese in testamentis conficiendis non immisceant, neque inconsulto Episcopo sese constitui sinant executores testamentorum laicorum, neque in rebus pecuniariis aut in executione quorumcunque contractuum se vades aliorum constituant.

137. Quoniam nobis infausta experientia constat, quosdam Sacerdotes, vel incuria, vel nimio fastu, vel consanguineos ditandi causa, gravibus debitis sese onerare, cum magno proximi detrimento, et fidelium scandalo, prohibemus, ne in posterum, sine expressa Ordinarii licentia, aliquis Parochus plusquam centum, nec Vicarius plusquam triginta aureorum debito sese scienter oneret. Prohibemus praeterea ne sacerdotes quicunque Ecclesiae nomine vel causa aes alienum contrahant sine Episcopi licentia scripto danda.

XIX.

DE EPISCOPIS.[1]

138. Episcopi passim a SS. Patribus, Principes Ecclesiae, Apostolorum Successores, et Christi Legati vocantur. Quam difficilia sint eorum munera ex Concilio Tridentino constat:—"Optandum est ut ii qui Episcopale ministerium "suscipiunt, quae suae sint partes agnoscant; ac se non ad "propria commoda, non ad divitias aut luxum, sed ad labores "et sollicitudines pro gloria Dei vocatos esse intelligant. "Nec enim dubitandum est, et fideles reliquos ad religionem "innocentiamque facilius inflammandos, si praepositos suos "viderint non ea quae mundi sunt, sed animarum salutem "ac coelestem patriam cogitantes." (Conc. Trid. sess. 25, de Reform. cap. i.)

139. Episcopis id imprimis curandum ut sibi ex praescripto S. Pauli attendant. Verum id non sufficit. Episcopi enim debent etiam orare pro populo ipsis commisso, et pro eo sacrosanctum missae sacrificium frequenter offerre. Et cum speculatores domus Israel sint constituti, pro aliorum salute invigilare omnino tenentur. Ante omnia opus est ut assidue laborent, ne quae humanae salutis est initium et fundamentum, fides detrimenti aliquid patiatur. For-

[1] Vide Append. XII. pag. 273.

titer itaque eorum conatibus se opponant, qui hisce etiam temporibus, pauperes calamitatibus et miseriis afflictos, oblata pecunia, seducere nituntur. Curent etiam ut populus accurate religionis principia ediscat, utque errores et depravatae opiniones inter eos non disseminentur.

140. Episcoporum munus est etiam praedicare. Hac de re recolenda sunt quae Concilium Tridentinum, sess. 5, cap. 2, de Reform. praescribit:—" Quia vero Christianae " Reipublicae non minus necessaria est praedicatio Evan-" gelii, quam lectio; et hoc est praecipuum Episcoporum " munus; statuit et decrevit eadem Sancta Synodus, Epis-" copos, Archiepiscopos, Primates, Patriarchas, et omnes " alios ecclesiarum praelatos, teneri per seipsos . . . . ad " praedicandum Sanctum Jesu Christi Evangelium . . . . " Si vero contigerit" eos "legitimo detineri impedimento " . . . . viros idoneos assumere teneantur ad hujusmodi " praedicationis officium salubriter exequendum." Et alio in loco sess. 24, de Reform. c. 4:—"Praedicationis munus, quod " Episcoporum praecipuum est, cupiens Sancta Synodus, " quo frequentius possit ad fidelium salutem exerceri . . . " mandat ut in Ecclesia sua ipsi per se, aut, si legitime " impediti fuerint, per eos quos ad praedicationis munus " assument, in aliis autem ecclesiis per parochos sive, iis " impeditis, per alios ab Episcopo . . . . deputandos in " civitate aut in quacunque parte dioecesis censebunt expe-" dire saltem omnibus Dominicis et solemnibus diebus " festis, tempore autem jejuniorum Quadragesimae et Ad-" ventus Domini quotidie vel saltem tribus in hebdomada " diebus, si ita oportere duxerint, Sacras Scripturas divi-" namque legem annuncient, et alias quotiescunque id oppor-" tune fieri posse judicaverint. Moneatque Episcopus popu-" lum diligenter, teneri unumquemque parochiae suae inter-" esse ubi commode id fieri potest ad audiendum verbum Dei."

141. Cum Episcopo cura sit commissa pascendi gregem,

et pastores alios constituendi qui ei adjumento sint in eo munere, perspicuum est nullum parochum sine venia Ordinarii Sacerdotes ex aliena dioecesi vocare posse ad praedicandum vel ad populum quomodocunque erudiendum. Quod ad praedicatores Ordinum Religiosorum spectat Concilium Tridentinum haec habet :—" Regulares . . . cujus-" cunque Ordinis nisi a suis Superioribus de vita, moribus " et scientia examinati et approbati fuerint, ac de eorum " licentia etiam in ecclesiis suorum Ordinum praedicare non " possint, cum qua licentia personaliter se coram Episcopis " praesentare, et ab eis benedictionem petere teneantur, ante-" quam praedicare incipiant. In ecclesiis vero quae suorum " ordinum non sunt, ultra licentiam suorum superiorum " etiam Episcopi licentiam habere teneantur sine qua in " ipsis ecclesiis non suorum ordinum nullo modo praedicare " possint." Sess. v. cap. 2 de Reform. Idem Concilium, sess. xxiv. cap. 4, de Ref., addit :—" Nullus autem saecularis " sive regularis etiam in ecclesiis suorum ordinum contra-" dicente Episcopo praedicare praesumat." Hinc clarum est regulares in propriis ecclesiis praedicaturos sistere se Episcopo loci debere ejusque benedictionem petere. Quod si Episcopus contradicat nullo modo praedicare possunt.

142. Quae de residentia a Concilio Tridentino praescripta sunt (sess. 6, cap. 1 : sess. 23, cap. 1), accurate sunt observanda.

143. In memoriam revocamus et stricte observari praecipimus decretum Concilii Tridentini (sess. 24, cap. 2, de Reform.) quo tenentur Metropolitani provinciale Concilium singulis trienniis cogere, cui Episcopi comprovinciales interesse debent, et Episcopi Synodum dioecesanam quotannis celebrare cui praesertim omnes qui curam animarum gerunt accedere tenentur. In dioecesana vero Synodo statuta Conciliorum Provincialium aut Plenariorum publicentur, eaque omnia agantur quae ad rectam dioecesis administra-

tionem spectent. Ut huic decreto facilius obtemperetur suppliciter rogandam censemus Sanctam Sedem, ut hos conventus celebrare liceat absque solemnitatibus in Pontificali Romano praescriptis.[1]

144. Quae de cura pauperum et miserabilium personarum, et de legatis piis exequendis, in Sacris Canonibus et praesertim in Concilio Tridentino habentur, accurate ab Episcopo sunt servanda. (Sess. 22, c. 8.)

145. Tenentur Episcopi Hiberniae ex novissimo Pii Papae IX. decreto[2] *singulis quinquenniis* visitare limina Apostolorum, nisi dispensati fuerint, et relationem status suarum Dioecesium exhibere juxta formam traditam a Sacra Congregatione de Propaganda Fide in sua Instructione data die 21 Januarii 1861.[3]

146. Inter Episcopalis Officii munera, praecipua est, et ad salutem gregum maxime necessaria, Visitatio. Ideo haec Synodus monet Episcopos omnes, ut singuli, ex Decreto Sacri Concilii Tridentini, Ecclesiam suam ac Dioecesim visitent intra tempus ab eodem Concilio praestitutum. (Sess. 24, cap. 3.) Si tamen Visitationem Dioecesis intra biennium perficere nequeant, eamdem Vicario vel alii Sacerdoti idoneo committant qui omnia praescripta, praeter Confirmationem, accurate adimpleat. Ut autem dioecesis visitatio rite peragatur, sequentia monita ex 1ª Synodo Provinciali a S. Carolo Borromeo habita excerpsimus :—

"Meminerint Episcopi visitationem ad salutem eorum qui "visitandi sunt institutam esse : quamobrem, illis maxime "propositum esse debet, ut in iis incorruptam, orthodox-"amque doctrinam, probatam morum disciplinam tueantur "ac restituant. Studebunt verbi Dei praedicatione, vehe-"menti exhortatione, ad religionem, vitae innocentiam, "pacemque et concordiam omnes adhortari."

[1] Vide Append. XIII. pag. 280. [2] Vide Append. XIV. pag. 281.
[3] Vide Append. XV. pag. 282.

147. Si vero privata admonitione opus esse intelligent, in eam docendo, arguendo, obsecrando, pro rei personae ac temporis ratione, incumbent. Confirmationis Sacramentum ubi opus erit, ministrabunt.

148. In singulis locis a viris aetate, usu et probitate commendatis, de omnibus subtiliter inquirent quae eos pro officii sui munere scire oportebit.

149. Ecclesiam et omnes ejus partes inspicient: an in eo cultu et nitore teneantur, qui domum Dei deceat: et si quid restituendum, reparandum, reconcinnandumve sit jubeant ab eis ad quos pertinet, et praesertim ab ipso parocho, resarciri.

150. Videndum etiam an desint vestes, libri, calices, patenae, corporalia, et reliqua ejus generis instrumenta et ornamenta quae ad Altaris ministerium, et ad divina officia sunt necessaria: an illa munda et purgata serventur: an Ecclesiae libri, vetera scripta, instrumenta et privilegia custodiantur: an eorum reddi possit ratio quae in inventarium relata sunt.

151. An Parochi resideant, et administrationi Sacramentorum, et Missarum ac divinorum officiorum celebrationi, et anniversariorum persolutioni, aliisque oneribus et muneribus satisfaciant; quae sit vitae eorum ratio: qui vestitus; quibuscum versari soleant; qualis sit eorum familia.

152. An Parochi libros habeant in quibus baptizatorum, confirmatorum, eorum qui matrimonio conjunguntur, et defunctorum nomina et cognomina describantur ad tramitem Ritualis Romani. Porro volumus ut a parochis adhibeantur libri illi, in columnas divisi et typis impressi, qui ab Episcopis approbati sunt.

153. An rite Sacramenta ministrentur; an sacrosanctum Eucharistiae sacramentum, sacrum Chrisma, et reliqua sacra, ea munditia, cura, et custodia qua debent, conserventur et suo tempore mutentur.

154. An legitime matrimonia contrahantur.

155. An Parochi suae curae commissas ecclesias, maxime diebus festis, deserant.

156. An Dei verbum praedicent: et pueros rudimenta fidei doceant.

157. An libros quos in hac Synodo habendos praescripsimus, habeant.

158. Dispiciant an in populo sint aliqui flagitiosi homines qui scandalum praebeant: an sint usurarii aut concubinarii.

159. An sint qui legata pia non exequantur. Episcoporum enim est providere ut omnia legata in pios usus relicta juxta intentionem testatorum debito tempore executioni mandentur. In hisce vero rebus, sacerdotes si legatarii vel testamentorum executores sint, tenentur Episcopum consulere et consilio ipsius dirigi.

160. An domestica disciplina patrumfamilias in educandis liberis, diligens, pia et honesta sit.

161. An scholae recte gerantur: an piis et Catholicis disciplinis pueri erudiantur, an juxta hujus Synodi praescriptum parochus vel vicarius scholas omnes parochiales invisat.

162. His exquisitis, cognoscere studeant quinam ex regularibus sive praedicandi munere fungantur, sive fidelium confessiones audiant; an eorum probata sit doctrina, et probatae doctrinae vita respondeat: an Hospitalia et alia pia loca recte administrentur; eorumque bona prudenter fideliterque in eum usum, cui addicta sunt distribuantur.

163. An qui in Hospitalibus sunt pie vivant. De scholis sciant, quos libros discipulis magistri interpretentur: et an illi officio suo satisfaciant.

164. An magistri idonei sint. De Bibliothecis diligenter quaerant, an in iis sint libri pii atque utiles; et an excludantur periculosi: si quid in his omnibus tollendum corrigendumve fuerit, tollent et corrigent: et ad puniendos delinquentes, censuras et alia juris remedia, adhibebunt.

165. Omnes vero summo studio monebunt et hortabuntur ut officii sibi commissi munus fideliter ac diligenter exerceant.

166. Neque solum haec, sed quaecunque a Concilio Tridentino, a Summis Pontificibus, vel a nobis in Synodis praecipiuntur, et alia multa, quae pro eorum prudentia ac pietate, ad utilitatem, ac salutem populorum eis in mentem venire poterunt, exquirent et exequentur.

167. Caveant vero, ne legem de victu, procuratione et muneribus, a Sacro Concilio Tridentino definitam transcendant.

168. Muneris etiam Episcopi erit invigilare ut statuta hujus Synodi accurate serventur, et nulla praxis his contraria introducatur, in quo graviter conscientia Episcopi oneratur.

169. Quoniam nihil plus confert in Ecclesiae bonum quam recta educatio ecclesiasticae juventutis; institutioni et gubernationi seminariorum sedulo invigilent Episcopi. Curent ut nonnisi docti et pii superiores et professores eis praeficiantur. Alumni seligantur bonae indolis, firmae valetudinis, nati ex parentibus nulla labe insaniae infectis et quorum avita fides et pietas spem praebeat quod eorum proles sit statui clericali apta.

170. Nisi aliunde Episcopo de eorum dotibus constet examini subjiciendi sunt omnes sive regulares sive saeculares qui ordinationem petunt, et omnes sacerdotes sive regulares sive saeculares antequam pro sacris confessionibus excipiendis approbentur.

171. De Sacerdotibus ignotis et vagis Concilium Tridentinum, sess. xxii. mandat Episcopis "ut irreverentia "vitetur singuli in suis dioecesibus interdicant ne cui vago "et ignoto sacerdoti missas celebrare liceat" (Dec. de observandis et evit.), et iterum (sess. xxiii. cap. 16, de Reform.) "Nullus praeterea clericus peregrinus sine "commendatitiis sui Ordinarii litteris ab ullo Episcopo ad

"divina celebranda et sacramenta administranda admittatur." Hisce decretis inhaerentes vetamus ne Parochi aut eorum Vicarii, vel regularium vel monialium ecclesiarum rectores, vagos et nulli dioecesi addictos aut ignotos sacerdotes ad sacra peragenda admittant. Si agatur vero de sacerdote qui alii dioecesi adscriptus est, ipse tenetur litteras proprii Ordinarii exhibere antequam ad celebrandum admittatur. Attamen si ecclesiarum rectores bene noverint sacerdotem alienum dignum esse qui ad celebrandum admittatur, illi licentiam missam dicendi per aliquot dies dare possunt, donec adiri potest ordinarius dioeceseos. Hinc ad evitanda incommoda et ne ab altari arceantur, singuli sacerdotes in exteras dioeceses profecturi se munire debent litteris commendatitiis proprii Ordinarii quae eos sacerdotes esse testentur et immunes a censuris et dignos qui sacra mysteria celebrare permittantur.

172. Omni zelo et paterno affectu foveant Episcopi religiosas monialium familias, eosdemque hortamur ut Conventus earum quae non sunt exemptae quotannis per seipsos aut per sacerdotes idoneos visitent. Curent ut moniales de idoneis confessariis, et bis vel ter in anno de confessariis extraordinariis provideantur ad sensum Constit. Bened. XIV. *Pastoralis curae* die 5 Aug. 1748. Si exemptae sint, deputatio confessarii pertinet ad superiorem regularem, cum approbatione tamen Episcopi, qui ex rationabili causa potest illum amovere.

173. Episcopi habeant apud se formulas litterarum, proprio stemmate signatas, excorporationis, licentiae abeundi, ordinationis, dispensationum et aliarum quae de more requiruntur, quarum exemplaria in Appendice hujus voluminis inserentur.[1]

[1] Vide Append. XVI. pag. 286.

XX.

DE VICARIIS GENERALIBUS ET FORANEIS.

174. Cum plerumque contingat Episcopos variis curis laboribusque distentos per se ipsos non sufficere ad omnes sui muneris partes perficiendas, ideo mos invaluit, quem Sacri Canones e Concilio Lateranensi IV° deinceps probarunt, ut Episcopus viros quosdam idoneos sibi assumat qui assistant in iis exequendis quae ad jurisdictionem Episcopalem spectant.

175. Vicarii Generalis nomine intelligitur ille qui cum potestate generali tum quoad loca tum quoad causas ab Episcopo constituitur atque ejusdem vices gerit ita ut in jurisdictione exercenda eadem moraliter censeatur esse utriusque persona, idemque sit utriusque tribunal, eousque quod non detur a Vicario ad Episcopum appellatio. (Cap. Roman. 3, tit. 15, lib. 2 in Sexto: Cap. 2, tit. 4, lib. 1 in Sexto.)

176. Ejus jurisdictio ordinaria est, utpote lege ejus officio annexa, vi cujus semel constitutus ea omnia efficere valet quae jurisdictione sua ordinaria potest ipse Episcopus, exceptis duntaxat iis quae Episcopus in Vicario constituendo specialiter sibi reservat, atque iis quae ex juris canonici praescripto mandatum speciale exigunt ut a Vicario tractentur: qualia sunt Synodum congregare, beneficia conferre aut auferre, dioecesim visitare aut indulgentias concedere. (Vid. Ben. XIV. de Syn. Dioec. lib. 2, cap. 8, n. 2).

177. Vicarii Generalis jurisdictio expirat 1° per Renuntiationem, 2° per Revocationem, 3° per Episcopi mortem, ac generaliter per ea omnia quibus ipsa cessat jurisdictio illius Episcopi, cujus Vicarius est.

178. Quo melius insuper provideatur tum ovium saluti tum ecclesiasticae disciplinae observationi, præter Vicarium

Generalem, qui toti praeest dioecesi, alios solent Episcopi determinatis quibusdam dioecesis regionibus Vicarios praeficere ut sui quisque territorii paroeciis diligenter invigilet. Hi Vicarii Foranei nuncupantur, seu Decani Rurales.

179. Inter caetera, pro jurisdictione diversa ipsis collata, quae ab arbitrio Episcopi omnino pendet, quaeque extendi vel restringi pro ejus lubitu potest, Vicariorum Foraneorum erit, quasdam dispensationes concedere: a casibus reservatis absolvere; invigilare moribus et actibus pastorum aliorumque sacerdotum, necnon illorum juvenum qui ad sacros ordines suscipiendos adspirant; Episcopi mandata ad territorii sui sacerdotes transmittere, enixe navare operam ut statuta tum dioecesana tum Synodorum provincialium et plenariarum ab omnibus accurate serventur, et ut sacra munia presbyterorum erga greges sibi creditos digne et fideliter impleantur; sedulo et frequenter inquirere num absentia negligentiave sacerdotum religio aliquid detrimenti capiat.

180. Quandocunque aliquis sui territorii sacerdos in morbum inciderit, praesertim vero cum mortis periculum imminere videatur, Vicarius Foraneus eum visitet atque omnem in spiritualibus opem infirmo in Domino fratri ferat. Neque inquirere omittat num aegrotus testamentum condiderit, et ubi reponatur. Summam insuper diligentiam adhibeat ne vasa sacra, libri statutorum aut ii in quibus nomina baptizatorum et matrimonio junctorum consignantur, aliaque hujusmodi in manus alicujus laici deveniant.

181. Vicarii Foranei insuper erit Ordinario saltem semel in anno aut saepius, si opus fuerit, relationem mittere de statu religionis et de moribus clericorum in suo decanatu.

182. Si vero quis Sacerdos auctoritatem Vicarii sui Foranei contempserit ejusve spreverit monita, res ad Episcopum vel Vicarium Generalem deferenda est, ut hujusmodi sacerdos condigne secundum canones puniatur.

XXI.

DE PAROCHIS.

183. Qui ad Ecclesiarum Parochialium curam sunt promovendi, tales esse debent qui idonei sint aetate, moribus, doctrina, prudentia et aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis. Maximi momenti est ut parochi hisce omnibus dotibus praediti eligantur, atque ad id consequendum forma quaedam concursus a Concilio Tridentino est proposita. Verum cum per circumstantias hujus regionis concursus, quamvis optandus, vix introduci possit, Episcoporum hac in re diligentia et zelus est exercendus, ut omni cura et prudentia, in tam gravi negotio procedant, diligenterque caveant ne Paroeciae conferantur nisi iis, qui a Synodalibus Examinatoribus, si adsint, sin vero a Theologis ab Episcopo delectis approbati fuerint, quique moribus ac scientia caeteris praestent. Ne quis vero existimet se jus ad paroeciam ea tantum de causa habere, quod inter alios Sacerdotes sit ordinatione antiquior, declaramus in collatione paroeciarum rationem aetatis, morum, zeli animarum, doctrinae, facilitatis concionandi et aliarum omnium dotum quae pastorem populi decent, esse habendam.

184. Quae de residentia, de administratione Sacramentorum, de applicatione Missae pro populo, et aliis parochorum muneribus in lege canonica aut statutis provincialibus aut dioecesanis definita sunt, accurate observari volumus.

185. Statuimus ut nullus Parochus a paroecia absit per tres dies continuos nisi prius Episcopum moneat: si vero absentiam per quinque dies protrahere velit, licentiam Episcopi in scriptis obtinere debet: nec unquam sine simili licentia die Dominica vel festo ipsi abesse licet, nec ulla occasione nisi substituat alium sacerdotem ab Ordinario approbatum, qui munia pastoralia interim obire debeat. Sacerdos curam infirmorum gerens a domo sua non discedat

quin indicet ubinam inveniendus sit, ne si inveniri non poterit, quid nocumenti fideles patiantur. Diebus Dominicis et festivis fiant Missae publicae hora fixa et praestituta, quam sine Ordinarii licentia haudquaquam mutare licet, nisi forte una aut altera vice si id publica populi necessitas postulet.

186. Parochus Missam in Ecclesia parochiali, nisi legitime impeditus sit, diebus dominicis et festivis de praecepto ordinarie celebrare tenetur: aliter muneri suo non satisfacit. De munere celebrandi et applicandi Missam pro populo videatur insuper Responsum S. Cong. Concilii, 14 Dec. 1872, in Appendice.[1] Si vero ob quamcunque causam etiam legitimam, in aliqua paroecia missa publica in die Dominica vel festo de praecepto omissa fuerit, Episcopus statim a Parocho et a Vicario Foraneo de hujusmodi omissione monendus est.

187. Omnes animarum curam actu gerentes, sacrosanctum Missae sacrificium pro populo sibi commisso celebrare et applicare debent, illis etiam diebus qui ex Apostolicae Sedis indulgentia ex dierum de praecepto festorum numero sublati ac translati sunt, (Litt. Apostol. *Amantissimi*, 5 Maii, 1858), nisi ex ejusdem Apostolicae Sedis indulgentia a proprio Episcopo hac super re dispensati fuerint.[2]

188. Curent parochi ut non tantum diebus dominicis, sed etiam festivis de praecepto, populus ad missam audiendam confluat. Hortentur fideles ut in diebus festivis praedictis ab operibus servilibus abstineant, et abusus hac in re corrigant.

189. Quia vero nundinae quae in diebus festivis fieri solent, occasionem dant praecipuam ebrietati et saepe impediunt ne missa audiatur, optaremus ut istae nundinae transferrentur ubique in alios dies, sicuti jam factum esse constat aliquibus in locis magno cum fidelium bono. Interea curet parochus ut populus aliis negotiis occupatus missam non negligat.

[1] Vide Append. XVII. pag. 299. [2] Vide Append. XVIII. pag. 300.

190. Parochos hortamur ut speciali quadam ratione curam gerant pauperum et miserabilium personarum quae in suis paroeciis degunt: et dum fieri jubent obsecrationes et postulationes pro omnibus qui in sublimitate sunt, divites ex altera parte ac potentes a vexandis pauperibus dissuadeant.

191. Parochus prae mente semper habeat inter praecipuas sui muneris partes esse curam aegrotantium. Eos sine mora, si sint in periculo mortis sacramentis Ecclesiae muniat, et eorum frequenti visitationi etiam per pios laicos provideat. Vocatus non renuat saepius visitare infirmos, et etiam non vocatus eos vel per se vel per alium sacerdotem frequenter visitet vel saltem semel in hebdomada, et ubi fieri possit, morientibus assistat.

192. Singulis saltem Dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas, pro sua et earum capacitate, pascat salutaribus verbis; docendo quae scire omnibus necessarium est, ac vitia quae eos declinare et virtutes quas sectari oporteat cum brevitate et facilitate sermonis. (Conc. Trid. sess. v. cap. ii. de Reform.) Si vero quis parochus aut vicarius, hoc munus graviter neglexerit, is poenis ecclesiasticis pro arbitrio ordinarii plectendus est.

193. Ad sacrorum canonum tramitem prohibemus ne in posterum novae quaecunque Ecclesiae sine consensu Episcopi erigantur. Praecipimus quoque ne collectae fiant ad Ecclesiam aedificandam, nisi approbante Episcopo. Hujusmodi collectas quandocunque factas non penes se retineat parochus, sed infra mensem deponat in aliquo publico aerario (seu *Bank*) in nomine trium curatorum, quorum unus sit Episcopus, alius ipse Parochus et tertius quidam de paroecia, vir pius et peritus.

194. Si nova aliqua Ecclesia sit aedificanda, volumus ut ejusdem ichnographia et forma a perito quodam viro

confecta Episcopo ab eodem approbanda exhibeatur, antequam prima aedificii fundamenta ponantur.

195. Si veteres Ecclesiae sint diruendae aut notabiliter immutandae, statuimus etiam ut parochus in antecessum debitam licentiam ab Episcopo obtineat.

196. Statuimus praeterea ut ubi domus aut scholae parochiales aut monasteria aedificanda sunt, res ad Episcopum deferatur, ejusque consensus obtineatur. Quod si jam extet domus parochialis eam dirui vel plurimum immutari, nisi accedat Episcopi consensus, prohibemus: volumus autem ut hujusmodi domus sartas tectasque teneant parochi.

197. Cavendum omni diligentia est, ut tituli Ecclesiarum et domorum parochialium ita conficiantur, ut perpetuo ea aedificia in usum debitum conservari possint.

198. Optat haec Synodus ut in singulis Paroeciis domus parochiales prope Ecclesias extent, quibus decem aut quindecim jugera terrae adnectantur; et mandat ut de hujusmodi negotio in Synodis dioecesanis agatur. Parochorum hac in re industriam excitamus, cum jam pecunias ad hunc finem necessarias a gubernio civili facile mutuari possint.

199. Cum gravissima damna religioni et reipublicae ex societatibus secretis oriantur, parochos monemus ut maximam diligentiam in eo ponant, ut hujusmodi societates in suis paroeciis non instituantur.

200. Cum nemo militans Deo negotiis saecularibus se implicare debeat, cumque periculum sit, ne ii qui latifundia conducunt, tempus in iis colendis impendant, quod spirituali curae populi debetur, vetamus ne quis parochus sine consensu Episcopi plusquam quindecim jugera terrae conducat, aut per se vel per alium occupet.

201. Vicarii autem parochorum non conducant ullam portionem agrorum, nisi accedat Episcopi consensus.

202. Ne vero contentiones, lites aut alia scandala ex imprudentia alicujus sacerdotis oriantur, districte prohibemus, ne quis parochus aut alius sacerdos aliquem praesumat nominatim declarare excommunicatum, nisi prius licentiam hujusmodi declarationis faciendae in scriptis ab Episcopo habuerit.

203. Vetamus etiam ne quis sacerdos inconsulto Episcopo quacunque de causa nomine, aut designatione propria quae in idem incidat, in aliquem ex altari invehatur aut publice aliquem denunciet.

204. Hortamur parochos in Domino praecipua quadam ratione in id operam impendere, ut pueri et puellae instituantur in rudimentis fidei Christianae et omni virtute imbuantur. Omni zelo studeant pastores ut omnes pueri et puellae usque ad quindecimum annum, etiamsi antea susceperint sacramenta Confirmationis et Eucharistiae, ecclesiae suae intersint ad audiendam expositionem doctrinae Christianae.

205. Parochi vel coadjutores visitent singulis hebdomadis, in quantum fieri potest, scholas approbatas aut toleratas, quae in suis paroeciis existunt, curentque ut ludimagistri bonum exemplum verbo et opere pueris exhibeant.

206. Caveant ne libri male olentes aut non legitime approbati in scholas introducantur : et si qui dubiae notae sint, de iis proprium Episcopum consulant.

207. Conentur omnibus viribus impedire ne in suis paroeciis erigantur scholae quae ad fidem puerorum labefactandam sint destinatae; et si scholae ejusmodi erectae fuerint, ab iis frequentandis pueros Catholicos prudenter sed efficaciter retrahant.

208. Si scholae etiam aliquando erigantur in quibus jura parochi non admittantur, aut ad quas visitandas ipse non admittatur, caveat ut eas pueri Catholici non frequentent.

209. Quod si parochus animadvertat in aliquam scholam

uti Catholici erudiuntur, ministros protestantes aut alios heterodoxos admitti ad pueros Catholicos, vel protestantes praesentibus Catholicis, in rebus ad doctrinam Christianam spectantibus examinandos vel docendos, aut ejusmodi jus sibi vindicare, a tali schola, ne periculis exponantur, volumus ut pueri Catholici retrahantur.

210. Denique in toto hoc educationis negotio, parochos hortamur ut magna cum prudentia ac zelo se gerant atque ut in rebus difficilioribus, consilium saepissime cum Episcopo proprio ineant.

211. Ex praescripto Concilii Tridentini, et ad normam Ritualis Romani, registrum teneant parochi baptizatorum, confirmatorum, eorum qui matrimonio conjunguntur ac defunctorum. Habeant quoque librum *status animarum* in quo consignentur nomina, cognomina, aetas, conditio incolarum paroeciae et caetera quae notantur in Rituali Romano.

212. Denique mandamus ut Sacerdotes aegroti antequam Extremae Unctionis sacramentum suscipiant, Pyxidem, vasculum olei sancti, registra praedicta, statuta provincialia vel dioecesana, et omnia instrumenta sacra, quae ad Ecclesiam pertinent, Vicario Foraneo aut alii prudenti presbytero tradant custodienda.

213. Jubemus ut parochus et vicarii librum communem, bene compactum, et apud parochum retinendum, habeant, in quo singuli accurate inscribant pecunias a se perceptas, notatis mense, die, et occasione in quibus percipiebantur et ut singulis hebdomadis vel saltem mensibus exactis, partitione facta juxta statuta dioecesana, rationes in memorato libro accuratissime componant, easque proprio chirographo muniant. Volumus quoque, ut ejusmodi liber, Episcopo quotiescunque visum fuerit exhibendus, fideliter custodiatur. Quandocunque vicarius ex una in alteram parochiam fuerit translatus, aut quomodolibet amotus, nullum jus habeat percipiendi stipendia post suum dis-

cessum solvenda a populo, nisi aequum aliter ordinario visum fuerit.

214. Singulis etiam hebdomadis vicarios apud se convocet Parochus, eosque de statu paroeciae interroget atque instruat de rebus quae per proximam hebdomadam, et praesertim die Dominica, agenda sint.

215. Ubi plures sint in paroecia sacerdotes curet Parochus ut paroecia in plures partes divisa, unicuique parti unus ex illorum numero praeficiatur, cui prae caeteris incumbat cura eidem invigilandi. Meminerint vero tum Parochi tum Vicarii omnes, singulos in solidum teneri, prout occasio exigat, ad omnia officia curae pastoralis in paroecia exercenda.

216. Omnibus sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus qui in ministerio animarum versantur, injungimus ut omni quo pollent zelo saltationes quasdam (*fast-dances*) recenter in hanc regionem inductas et modestiae Christianae plane repugnantes pro viribus impediant. Et sciant Confessarii se suo muneri non satisfacere si ullo modo aut sub ullo praetextu eas permittant aut excusent.

XXII.

DE COADJUTORIBUS PAROCHORUM.

217. Parochis in Hibernia dantur Coadjutores seu Vicarii ob amplitudinem paroeciarum et multitudinem populi. Hi Coadjutores praevio idoneitatis examine seliguntur ab Episcopo, et ab eodem de paroecia in paroeciam removentur.

218. Eorum jura et munera definiri debent ab Episcopis in Synodis Dioecesanis.

219. Sciant Vicarii, sicut pastoralis officii participes constituuntur, ita et pastoralis curae et solicitudinis, se quoque participes fieri: ideoque ipsis etiam obligationem incumbere praedicandi, sacramenta administrandi, scholas visitandi, aegrotantium curam habendi, adolescentes Christiana doctrina imbuendi et in promovenda animarum salute se totos impendendi et omnia officia ad quae ab Episcopis fuerint destinati adimplendi.

220. Meminerint Coadjutores Parochum esse rectorem paroeciae, et proinde erga Parochos reverentiam et subjectionem exhibeant, illos semper consulant de rebus in paroecia ordinandis, et nihil ipsis invitis innovent, nisi aliter Ordinario visum fuerit. Ita debitus ordo servabitur, contentiones quae oriri possunt cum scandalo fidelium evitabuntur, et pax quae debet existere inter eos qui vineam Domini excolunt, servabitur.

221. Si quod exurgat dissidium inter parochum et Vicarium, tota res judicio Ordinarii committatur. Interim, causa non finita, cedat Vicarius sententiae parochi.

222. Statuimus et ordinamus ut parochorum Coadjutores, singulis hebdomadis, aut apud domum parochi aut loco ab eo statuto, singuli propriis parochis sese obvios praebeant, ut inter se de rebus, subsequenti hebdomada in paroecia agendis et ordinandis conveniant: aut quod idem erit, mentem parochi per epistolas cognitam habere curent si parochum absque gravi incommodo visere nequiverint.

223. Si Vicarius extra domum suam pernoctare velit, Parochum prius certiorem faciat. Si vero per tres dies absentiam protrahere cupiat, Episcopum prius moneat, sine cujus expressa licentia per quinque dies vel diebus Dominicis aut festivis, nunquam illi abesse licebit.

XXIII.

DE VIRIS RELIGIOSIS.[1]

Quo magis magisque religiosi ordines in Hibernia floreant et feliciori fructu Ecclesiam nostram ditent et ornent, enixe hortamur ut superiores Regularium sequentes ordinationes a suis subditis observari diligenter curent.

224. Ut Regularibus visitationes otiosae in domibus privatis interdicantur.

225. Ut dum iidem quaestuando circumeant, Summorum Pontificum constitutiones accurate servent.

226. Ut nullae novae Collectae pecuniariae ad ecclesias aedificandas vel alia hujusmodi opera promovenda a Religiosis instituantur sine Ordinarii licentia.

227. Ut Regulares non quaestuent extra dioecesim in qua est eorum conventus nisi cum licentia Episcopi loci.

228. Ut ante horam decimam pomeridianam singuli in suos conventus se recipiant.

229. Ut stricte servetur Instructio S. Congregationis de Propaganda Fide[2] a Clemente XIII. adprobata die 16 Januarii 1763 de non admittendis Tertiariis ad habitum, nisi servatis servandis et de Episcopi licentia. Nemini autem liceat habitum Tertii Ordinis publice gestare sine venia ejusdem Ordinarii.

230. Insuper quoad Fratres Ordinum Mendicantium vehementer cupimus quod dum quaestuam faciunt, nisi necessitas exigat, extra aedes conventuales non pernoctent.

231. Regularis non subditus Episcopo, qui intra claustra monasterii degit, et extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, Episcopo instante, a suo superiore intra tempus ab Episcopo praefigendum, severe puniatur ac de punitione Episcopum certiorem faciat: sin minus, a suo superiore officio privetur, et delinquens ab Episcopo puniri possit. (Conc. Trid. sess. xxv. c. 14 de Reg.)

[1] Vide Append. XIX. pag. 301. [2] Vide Append. XX. pag. 304.

XXIV.

DE MONIALIBUS.

232. Uberrimas imprimis gratias agendas censemus esse Deo, qui Ecclesiam in hac regione plurimis monasteriis, ad varias religiosarum feminarum familias spectantibus, ditare dignatus est. Ab hujusmodi piissimis feminis pauperes nostri sublevantur, puellae non solum in litteris sed, quod longe majoris est momenti, in fide et omnibus virtutibus erudiuntur: aegroti in corpore et spiritu juvantur: moribundi in spem beatae vitae eriguntur et consolatione replentur. Eximios vero hosce fructus in Ecclesiam et Societatem, pro magna parte, ex Constitutionibus et Regulis praedictarum familiarum accurate observatis dimanare persuasum habemus. Vehementer itaque optamus, ut ipsa monasteria numero concrescant, et iisdem ab Episcopis omnia praesidia sedulo subministrentur, quorum ope dicatae Deo virgines in instituti cujusque primitivo vigore perpetuo perseverent, servatis monasteriorum exemptorum, si quae sint, legitimis privilegiis.

233. Magnopere propterea desideramus, ut quisque Episcopus per se, vel saltem per discretum aliquem sacerdotem ad id specialiter deputandum visitationem omnium sibi subditarum monialium quotannis accurate peragat. Nemini tamen liceat constitutiones et regulas, quae a Sede Apostolica approbatae sunt, ullatenus immutare.

234. Diligenter inquirat Episcopus an memoratae constitutiones et regulae rite ac adamussim, tum in littera tum in spiritu, sint in quolibet conventu aut monasterio observatae: unde caveri possit, ne ulla relaxatio sensim sine sensu irrepat.

235. Nunquam exeant Moniales e septis monasterii nisi juxta praescriptum regulae aut ex causa gravi cum licentia Episcopi.

236. Nullibi erigatur novum monasterium sine congruis redditibus, qui pro magna parte ex bonis jam acquisitis provenire debent.

237. Ordinarius semper consulatur de ratione agendi in rebus gravibus sive spiritualibus sive temporalibus.

238. Ne mendicent de domo ad domum moniales, sive spectent ad monasterium aliquod dioecesis in qua id fiat, sive ex alia dioecesi vel alia regione veniant, nisi cum licentia Ordinarii loci in scriptis tradenda, et injunctis necessariis opportunisque cautionibus ad omne abusus vel scandali periculum amovendum.

239. Mulieres saeculares non permittantur pernoctare in conventu sine licentia Episcopi.

240. Sedulo curent Ordinarii ut regula de visitationibus otiosis externorum seu externarum ad monasterium accedentium statuatur, nisi jam existat, et stricte observetur.

241. Puellae Ordinem seu Congregationem ingressurae scripto se obligent ad non exigendam mercedem seu compensationem operae sive servitii a se in monasterio praestandi tempore quo fuerint postulantes, ut vocantur, vel novitiae vel professae.

242. Moniales quae jam docent in scholis vel ad docendum in iisdem destinantur, specialem ad hoc munus institutionem accipiant: cui rei, utpote maximi momenti, summa cura invigilare debet ipse Episcopus.

243. Moniales iisdem regulis teneantur quibus tenentur sacerdotes, circa situs scholarum acquirendos et pecunias obtinendas ad earumdem erectionem: item circa scholas normales, ad quas minime mittant puellas instituendas: nec in iis institutas adhibeant ad docendum in suis monasteriis: nec ejusmodi puellas in proprium ordinem seu congregationem admittant sine expressa licentia Episcopi.

244. Singula monasteria habeant Confessarium Ordinarium, qui confessiones monialium audiat, et hoc munere

non fungatur ultra tres annos nisi habita debita licentia, cum bonum spirituale monasterii Episcopo videatur exigere, ut tempus protrahatur. Confessarius extraordinarius mittatur ad singula monasteria bis aut ter in anno. De iis quae ad confessionem pertinent non agatur cum quolibet ex Confessariis nisi in tribunali poenitentiae. In omnibus monasteriis erigantur confessionalia cratibus instructa.

245. Caveatur ne manifestatio conscientiae superioribus a novitiis aut aliis facienda respiciat materiam confessionis propriam; ac etiam ne libertatem confessionis ullo modo imminuat.

246. Quando Moniales ab aliquo monasterio proficiscuntur ad aliud fundandum, scripto ab Episcopo probato, conveniant duae superiores, altera scilicet quae praeest monasterio unde exitur, altera quae praeficitur religiosis profecturis, de conditionibus utrinque servandis. Item quando transfertur monialis ab aliquo monasterio ad aliud ut in eo permaneat, duae superiores similiter scripto conveniant de conditionibus servandis. In ambobus hisce casibus utraque superior exemplar scripti, quo mutua conventio contineatur, apud se servet.

XXV.

DE DISSENSIONIBUS INTER VIROS ECCLESIASTICOS EVITANDIS.

247. Ne dissensiones inter Episcopos aut alios ecclesiasticos viros in Hibernia oriantur, statuimus ut si quae lex in posterum lata aut proposita a Gubernio pro toto regno fuerit, quae ad catholicorum educationem, bona ecclesiastica, et jura Ecclesiae pertineat, aut quacunque ratione Ecclesiam in omnibus et singulis dioecesibus respiciat, nullus Episcopus munus sibi assumere possit hujusmodi

legem ad executionem deducendi, neque eam acceptare, nisi antea alii Episcopi legem ad examen vocaverint, et acceptandam esse declaraverint.

248. Quod si sententiarum diversitas sit hac in re inter Episcopos aut si agatur de causis majoribus, quae ab Episcopis dirimi non possunt, tota controversia ad Sedem Apostolicam deferatur, juxta veterem canonem Ecclesiae Hiberniae a S. Patritio latum, "Si quae quaestiones in "hac Insula oriantur, ad Sedem Apostolicam referantur," (Can. S. Patr. apud Wilkins Conc. M. Brit. Tom. 1, pag. 6) et juxta consuetudinem Ecclesiae Universalis.

249. Præterea omnibus hujus regionis sacerdotibus in memoriam revocamus obligationem qua mysteria Fidei, Sacramenta, Dei praecepta et alia ad Religionem spectantia fideli populo diebus festivis exponere tenentur. Cum vero periculum sit ne haec negligantur si de alienis et profanis negotiis in Ecclesiis agatur, districte prohibemus ne inter missarum solemnia, quod plane indecens esset, aut omnino in Ecclesia de rebus mere saecularibus, ut de politicis electionibus aut aliis ejusmodi rebus agatur, quae facile dissidia inter pastorem et populum promovere valeant, et magnam animorum commotionem excitare: quae tamen ita interpretanda non sunt, quasi de largitionibus non recipiendis, de perjurio evitando, de juribus Ecclesiae, et de charitate et cura erga pauperes, sacerdotibus non esset agendum.

250. Quod si quis sacerdos saecularis aut regularis de hujusmodi rebus agat, aut spreto Synodi Thurlesiae praecepto, nominatim in aliquem in Ecclesiis invehatur, is poena suspensionis, aut alia pro arbitrio Ordinarii plectatur.

251. Hortamur vero ut lites et jurgia inter se de rebus politicis in conventibus publicis, et magis adhuc in foliis seu ephemeridibus publicis, non ineant sacerdotes, ne dignitas sacerdotalis aliquid detrimenti capiat, ne charitas

illa, quae robur Ecclesiae est, violetur, et ne rixis et contentionibus cum aliis implicentur.

252. Haec vero dum statuimus Religionis bonum et Ecclesiae libertatem exigere putamus, ut quotiescunque de curatoribus pauperum, et Parliamenti membris eligendis agatur, a quorum agendi ratione pauperum catholicorum fides et incolumitas, et Ecclesiae jura et libertas detrimenta pati possunt, soliciti esse debent, ut hominibus probis et Religionis catholicae minime hostibus munera haec conferantur. Attamen extra ecclesias, sine tumultu, absque charitatis violatione, et cum debita subjectione proprio Episcopo ne dissensiones in clero oriantur, et cum ea moderatione, quae statui clericali omnino convenit, relicta unicuique in dubiis libere pro se sentiendi facultate, de omnibus hujusmodi rebus agendum esse arbitramur.

XXVI.

DE LITIBUS EVITANDIS.

253. S. Paulus in Ep. 1ª ad Corinthios strenue fideles hortatur ut judicia publica evitent, et lites et disputationes inter se sine judicum auxilio componant :—" Saecularia " igitur judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in " ecclesia, illos constituite ad judicandum. Ad verecundiam " vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui " possit judicare inter fratrem suum ? Sed frater cum fratre " judicio contendit . . . . . . Jam quidem omnino delictum " est in vobis quod judicia habetis inter vos. Quare non " magis injuriam accipitis ? Quare non magis fraudem " patimini ?"—1 Cor. vi. 1 sqq.

254. Haec S. Pauli doctrina saepe a sacerdotibus proponenda est fidelibus, ut discant quantopere lites sint evitandae, et quantum ab evangelio aliena sit eorum agendi ratio qui saepius alios vocant ad tribunalia, quique voluptatem quamdam ex legalibus disceptationibus capere videntur.

255. Si oriatur causa disceptandi de re mere temporali inter sacerdotem et laicum, sacerdos qui virtutum evangelicarum exemplar esse debet proponat ut res arbitrio prudentium virorum relinquatur dirimenda. Quod si agatur de contractibus, debitis, haereditatibus, testamentis, publicis instrumentis aut aliis hujusmodi, in quibus sententia judicis saecularis est vi legis politicae necessaria ad efficacem causae determinationem, si quae ratio inveniri potest quaestionem pacifice componendi, ea adhibeatur ut recursus ad tribunal civile necessarius non evadat.

256. Caeterum ut mala quae ex hisce litibus inter Sacerdotes et laicos oriuntur, quantum fieri potest, impediantur, sacerdos rem integram Ordinario deferat, et ejus consilio dirigatur.

257. Si inter Sacerdotes de rebus mere temporalibus oriatur quaestio quae privatim componi possit, alter alterum ad tribunalia laica non citet, sed res deferatur ad Ordinarium dioecesis, et ab illo vel ab arbitris cum ejus consensu selectis dirimatur. Quod si agatur de contractibus, debitis, haereditatibus, testamentis, publicis instrumentis et aliis hujusmodi, etiamsi opus sit sententia judicis saecularis, ut supra dictum est de causa quae versetur inter Sacerdotem et laicum, omnis conatus faciendus est ut res pacifice componatur, et nullo in casu quaestio in tribunali suscipienda est nisi petita prius ab Ordinario licentia.

XXVII.

DE FORO ECCLESIASTICO.

258. Cum ex divina sua institutione Ecclesia perfecta sit societas sub regimine Summi Pontificis Christi Vicarii, et Episcoporum, quibus competit potestas leges ferendi, et causas audiendi et dirimendi ac legum observantiam vi coactiva et poenis exigendi, existere debet forum judiciale ecclesiasticum. Quale quidem forum agnoscendum esse verba Christi demonstrant:—"Si peccaverit in te frater "tuus . . . . . . dic Ecclesiae. Si autem Ecclesiam non "audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus," et illa S. Pauli, "adversus presbyterum accusationem noli accipere "nisi sub duobus vel tribus testibus."

259. Hinc Pius VI. in Const. *Auctorem Fidei* eos damnat qui dicunt Ecclesiae non fuisse a Deo collatam potestatem non solum dirigendi per consilia et suasiones sed etiam jubendi per leges ac devios contumacesque exteriore judicio ac salutaribus poenis coercendi atque cogendi.

260. Cum e divino primatus jure Romanus Pontifex universae Ecclesiae praesit, Concilium Vaticanum eum esse declaravit judicem supremum fidelium, et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse judicium recurri. Ipse itaque per universum orbem causas ejusmodi dirimere vel etiam ad se vocare potest. Hinc quoque, ut patet, ad ipsum spectat formulas observandas in judiciis ecclesiasticis exercendis praescribere, omnesque fideles tam ejus judiciis quam ejusmodi regulis se submittere tenentur.

261. Praeterea jure divino et vi institutionis Christi Episcopi potestatem judiciariam habent sibi propriam qua neque spoliari neque se abdicare possunt, quam vel per se vel per vicarium aut alium quemcunque ad nutum revocabilem,

exercere possunt, nisi lex aliqua canonica obstet. Cum vero in hac regione omnes formae in jure canonico praescriptae pro judiciis ecclesiasticis nequeant observari, habita legis civilis ratione, cavendum ut saltem ea omnia fiant quae ad veritatem inveniendam et ad justam rei defensionem necessaria sunt.[1] Qua de re in Synodis Provincialibus sedulo agendum erit.

262. Porro Episcopi Tribunal ad canonum normam et juxta Tridentina decreta in causis ecclesiasticis, quae nempe fidem, sacramenta, sacras functiones necnon officia et jura sacro ministerio adnexa respiciunt, sententiam dicit, et ejusmodi causas ad tribunal laicale deferre non licet.

263. Hinc appellatio quaelibet ad tribunal laicale a sententia in his causis ab Episcopo lata, necnon appellatio quae dicitur ab abusu, scilicet cum quis sub eo praetextu quod Episcopi judicando sua potestate abusi sint, ad judices saeculares confugiat, est omnino reprobanda.

264. Si quis vero Ecclesiasticus in hujusmodi causis ecclesiasticis litem in tribunalibus instituat aut ad eadem recurrat, aut appellet contra judicia proprii Ordinarii, quibus suspensio aut aliae censurae vel poenae infliguntur, incidit ipso facto in excommunicationem majorem speciali modo Romano Pontifici reservatam, et fit obnoxius poenis exinde descendentibus, et per sacros canones statutis. Quam excommunicationem incurrunt etiam laici hujusmodi causas quomodolibet ad Tribunal Saeculare afferentes.

265. Quod si quis gravamen aut injuriam ab ecclesiasticis judicibus passum se esse autumet, ea remedia adhibeat, quae suppeditat Ecclesia; scilicet appellet ad Archiepiscopum vel ad Summum Pontificem.

[1] Vide Append. IX. pag. 248.

XXVIII.

DE ARCHIVIS CONSTITUENDIS.

266. Cum Ecclesiarum utilitati maxime conferat veterum instrumentorum custodia, plurimaque eorum in hoc regno dolere debeamus malo quidem fato deperdita esse; decernimus ut in posterum media adhibeantur quibus tanto malo obvietur.

267. Episcopale itaque Archivum, in loco quo possit tutiori simul et commodiori, Episcopi stabiliter in singulis suis dioecesibus erigant et constituant. In illo omnia documenta quae ad suae dioecesis originem et historiam spectent; ea quoque quae ad dispensationes matrimoniales, et presbyterorum ordinationes pertineant; quae ad controversias et judicia referantur; quae ad beneficiorum provisiones, paroeciarum uniones et divisiones; privilegia et indulgentias, quae dioecesi ipsi, Ecclesiae Cathedrali vel parochiali concessae fuerint; quaeque quocunque modo ad rectam dioecesis administrationem pertineant, omnino reponantur.

268. Ne vero post mortem Episcopi Archiva dispereant, cum ipse se ex hac vita migrare perspexerit, eorum curam duobus sacerdotibus committat, qui in ejus testamento sunt nominandi, quique ipsa archiva Episcopi demortui successori fideliter consignabunt.

269. Quod si quis documenta, quae in archivo conservantur, violaverit, subtraxerit, aut suppresserit, omni sit dignitate, officio et beneficio privatus, et ad futura obtinenda inhabilis eo ipso, sicut statutum legitur in actis Conc. Rom. an. 1725, sub Benedicto XIII.; si vero laicus fuerit, excommunicationem ipso facto incurrat.

XXIX.

DE BONIS ECCLESIASTICIS.

270. Cum res Ecclesiae, seu bona ecclesiastica, nihil aliud sint nisi vota fidelium, et patrimonia pauperum; cumque, praeterea, ea ad cultum divinum exercendum, et ad sacrorum ministrorum sustentationem necessaria sint, facile quilibet intelliget quanta fide et diligentia sint custodienda ab iis quibus eorum ministratio et fruitio est commissa. De iis itaque sequentia statuenda esse existimamus, praeter alia quae a Jure Canonico statuta sunt.

271. Primo: praecipimus omnibus parochis, aut paroeciarum administris, necnon locorum piorum quae ab Episcopis pendent curatoribus, ut statim post publicationem hujus Concilii constitutionum, bonorum, tam mobilium, quam immobilium, quae ad ecclesias suas vel paroecias, vel ad loca pia praedicta spectent, inventarium conficiant. In hoc inventario diligenter vasa sacra, sacramque omnem supellectilem, quae in suis ecclesiis existat, describent; si quae sint praedia Ecclesiae, si domus aut scholae parochiales, si redditus denique permanentes, eos omnes recensebunt, Onera autem non omittant quibus ecclesia vel loca pia subjiciuntur.

272. 2° Confecto inventario singularum Ecclesiarum et locorum piorum, unum exemplar, a parocho vel ab alio ad quem spectat subscriptum, Episcopo dioecesis mittetur ab eo in Archivo Episcopali custodiendum; alterum penes ipsam ecclesiam de qua agitur in loco tuto asservabitur. Vasa sacra aurea vel argentea nomine illius ecclesiae ad quam pertinent inscribantur. Si sint nova id fiat antequam ab Episcopo consecrentur.

273. 3° Si quae bona in operibus piis et ecclesiasticis insumenda post confectum inventarium parocho alicui, vel alii cuicunque Catholico donata vel legata fuerint, statim paro-

chus vel alius Sacerdos Episcopum moneat qui curabit ut piae donationes et legata pia effectum sortiantur.

274. 4° Ne ob legis defectum bona ecclesiastica in alienas manus transeant, curae erit Episcopo ut eorum tituli aut instrumenta accurate juxta legem civilem, et in nomine trium aut quatuor curatorum conficiantur. Hi vero curatores sint Episcopus dioecesis, parochus seu alius Sacerdos cui bona commissa fuerint, Vicarius Generalis aut alius vir prudens et vitae integritate conspicuus, et in hujusmodi rebus versatus. Hi curatores semel in anno convenire debent ut securitati bonorum praedictorum providere possint. Et si quis ex eorum numero e vivis discesserit, alium in ejus locum subrogare teneantur.

275. 5° Ne lites de bonis quae ab Episcopis et a parochis tenentur post eorum obitum, cum scandalo fidelium, oriantur, praecipimus ut singuli Episcopi et Sacerdotes omnes bonorum ecclesiasticorum possessionem aut administrationem quomodolibet habentes testamenta sua rite confecta et signata teneant, et eadem in loco tuto ab Episcopo designato reposita habeant. Nulli autem Sacerdoti in extremis constituto administrentur Sacramenta nisi prius testamentum confecerit, aut serio conficere promittat.

276. Ut haec omnia quae respiciunt sive Archiva, sive bona ecclesiastica serventur, ab Episcopo Secretarius dioecesanus instituendus videtur.

277. In mentem omnium revocamus poenas, quae in Concilio Tridentino, Sess. 22, c. ult. et in Constitutione *Apostolicae Sedis moderationi* Pii PP. IX., in bonorum cujuscunque Ecclesiae, aut pii loci occupatores latae sunt.

XXX.

DE CATHOLICA JUVENTUTIS INSTITUTIONE.

278. Quum Christus Dominus Pastoribus Ecclesiae suae in persona Apostolorum officium commiserit docendi universam Christianam plebem, dicens: "*Euntes docete* "*omnes gentes . . . docentes eos servare omnia quaecunque* "*mandavi vobis,*" quumque maximi sit momenti ut vel a primis annis animae fidei lumine illuminentur, *ne unquam obdormiant in morte,* muneris nostri est imprimis enixe in Domino hortari et obsecrare parentes et alios omnes, quibus juventutis cura demandata est, ut ad Catholicam liberorum educationem operam diligentissime navent, quatenus in iis quae ad fidem et mores spectant, bene instituantur, et ad vitam quae sanctissimae nostrae fidei dictaminibus sit conformis, plene efformentur.

279. Quapropter a tenerrima usque aetate devotam Sanctissimorum Jesu et Mariae nominum invocationem, necnon Orationem Dominicam, Angelicam Salutationem et Symbolum Apostolorum eos edoceant; et videant ut Doctrinam Christianam seu Catechismum a primis annis discant, et temporis decursu, magis magisque in doctrina fidei erudiantur.

280. Caveant ne culpa sua fides vel mores periclitentur parvulorum, pro quibus Christus mortuus est. Proinde neque ad scholas a Pastoribus Ecclesiae interdictas vel suspectas filios filiasve suas mittant nec ullo sub praetextu tales scholas eos frequentare sinant.

281. In memoriam revocamus omnium fidelium curae nostrae pastorali commissorum a nemine Catholico "posse "probari eam juventutis instituendae rationem quae sit a "Catholica fide et ab Ecclesiae potestate sejuncta, quaeque "rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenae socialis "vitae fines tantummodo vel saltem primario spectat." (Syllab. Prop. 48, Ex epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine,* 14 Julii 1864.)

XXXI.

DE SCHOLIS NATIONALIBUS.

282. Prudentem agendi modum a S. Sede servatum respectu systematis Nationalis Educationis, quae abstinuit a judicio super ea re definitive proferendo, et a nobis impraesentiarum servandum esse arbitramur.[1] Attamen nostri muneris esse ducimus, iterum cum Concilio Plenario Thurlesiensi declarare, separatam Catholicae juventutis educationem esse omnimode ei anteponendam. Haec enim sola juribus votisque populi nostri plene satisfacere potest. Quod quidem patet, tum ex iteratis declarationibus Catholicorum systema mixtum saepe saepius reprobantium, et educationem religiosam pro liberis suis efflagitantium: tum etiam ex agendi ratione eorum, qui quamvis summis laudibus systema mere saeculare extollant, tamen in seligendis scholis ad quas liberos suos mittant, fere semper et ubique academias separatas, relictis mixtis, eligunt.

283. Quoniam autem de facto systema Educationis, uti vocant, *denominationalis*, adhuc nobis a Gubernio Britannico denegatur, et nonnisi mediante systemate Nationalis Educationis participes esse possumus redditunm publicorum, qui assignantur educationi, omni cura cavendum est, ne ex mutationibus in modo remunerandi magistros sive ex alio quocunque capite jura, quibus adhuc gaudent catholici scholarum moderatores (*school-managers*), impetantur: si enim id fieret, facile evenire posset, ut injuria facta sacrosanctis Religionis nostrae principiis, systema ipsum Nationale ita periculosum evaderet, ut non amplius Ecclesiae Pastoribus esset tolerandum.

284. Haec autem sunt quae statuenda ducimus, ut quam minime periculosum illud systema Educationis Nationalis reddatur: scilicet:—

1° Libri, qui noxium aliquid sive adversus Sacrorum

[1] Vide Append. XXIII. pag. 329.

Bibliorum Canonem aut puritatem, sive contra Catholicae Ecclesiae doctrinam vel mores continent, in scholis nullomodo tolerentur.

2° Nullus liber, in quo de Religione seu moribus agitur, admittatur, nisi sit ab Ordinario saltem toleratus, ad quem de rebus fidei et morum pertinet judicare.

3° Episcopi et parochi curent, ut in unaquaque paroecia sufficiens sit scholarum numerus ad Catholicae juventutis institutionem.

4° Eorumdem etiam est, cooperante populo, enixe curare ut a Gubernio meliorem in dies rerum ordinem et conditiones aequiores quoad scholas impetrent.

5° Statuimus autem ut, in quantum fieri potest, loca ipsa scholarum fidei trium saltem curatorum committantur, si nondum commissa sint, Episcopi scilicet vel Parochi, et aliorum ab Episcopo approbandorum, in quorum nomine tituli aut instrumenta accurate juxta legem civilem conficiantur.

6° Parochus, semel saltem in unaquaque hebdomada, in quantum fieri potest, visitet vel per se vel per suos vicarios, omnes et singulas scholas Nationales in sua paroecia existentes, quas pueris puellisve suae paroeciae frequentare permittit: doctrinam fidei singulis hebdomadis discipulis explicet modo eorum aetati congruo, nomenque suum et quid egerit in libro ad hoc parato inscribat. Diligenter curet ut ludimagistri et magistrae officia sua bene adimpleant, et ut scholares doctrinam Christianam apprime addiscant, et in religionis exercitia infra tempus a regula permissum quotidie incumbant. Quod si quis sacerdos per quatuor hebdomadas successivas scholas singulas supradictas visitare vel in eis instructiones opportunas tradere neglexerit debitis poenis plectatur ad arbitrium Ordinarii. Hortamur autem Episcopos ut tempore visitationis, modo speciali circa scholas et circa decretorum hujus Synodi Plenariae scholas respicientium observantiam inquirant.

285. Illud quoque perutile fore censemus ad mentem Sacrae Congregationis, si loca ipsa scholarum per curatores, ut jam diximus, in Episcoporum, vel parochorum potestate ac proprio jure manerent. Vetamus igitur omnes et singulos sacerdotes, ne quis eorum auxilium ad scholas erigendas accipiat sub quocunque instrumento a Coetu Episcoporum non approbato, quodque supradictae S. Congregationis instructioni omnino conforme non sit.

286. Inhibemus Catholicis penes quos sunt loca scholarum, ne ea ad Commissarios transferant.

287. Statutis ab Archiepiscopis et Episcopis Hiberniae an. 1862 insistentes, Sacerdotes omnes sub poena suspensionis prohibemus, ne quempiam sive virum sive feminam mittant ad artem paedagogicam addiscendam in iis scholis mixtis quae sub regimine immediato Concilii supremi (*Board*) Educationis Nationalis positae, ad magistros formandos institutae sunt.

288. Cum autem in praedictis scholis, magistri et discipuli variarum religionum immixti inveniantur, et nulla in eis docendae Catholicae religionis habeatur ratio, unde grave intrinsecumque fidei oriatur periculum, districte prohibemus ne in posterum ullus Catholicus ad artem paedagogicam addiscendam eas adeat, vel aliquod in iis officium exercendum posthac suscipiat. Invigilent Episcopi ut hoc decretum ab omnibus servetur, et ut omnes Confessarii, sive regulares sive saeculares, ratione habita hujus decreti, poenitentes suos ab illis frequentandis deterreant.

289. Cum in plerisque scholis mere normalibus (*model schools*) haud minora pericula inveniantur, volumus ut ad quascunque hujusmodi scholas pueros puellasve Catholicas non mittant parentes vel alii quibus parvulorum cura commissa est. Quod si fecerint, sciant se strictissimam rationem esse redditurus periculi cui animas sanguine Christi redemptas exponere non dubitant.

290. Valde periculosum esse censemus pueris Catholicis scholas adire, quibus soli Acatholici praesunt; et a talibus scholis Pastores sui gregis juvenes avertant.

291. Statuimus, ut Episcopi quotannis in conventu suo annuo deputationem permanentem constituant, ad invigilandum super totum istud de juventutis institutione negotium, et ad jura et profectum Educationis Catholicae, tum in Parliamento, tum alibi, jugiter promovendum.

XXXII.

DE SCHOLIS MONIALIUM.

De Scholis, quae sub cura monialium sunt, haec statuimus.

292. Nulla ex istiusmodi scholis cum Concilio Supremo (*Board*) Educationis Nationalis in posterum connectatur, nisi cum expressa Ordinarii licentia.

293. Nemo, sive ex Monialibus, sive ex novitiis, ad examen coram officialibus Commissariorum sese praesentet.

294. Moniales nec quampiam ad aliquam Scholam Normalem mittant ad artem paedagogicam addiscendam vel ad munus docendi exercendum; nec scholarem quamlibet talis scholae ad officium in conventu vocent, neque litteras commendatitias ipsi tradant, neque in communitatem inter novitias, sine expressa Ordinarii licentia, admittant.

295. Subsidia ad aedificia erigenda a Commissariis non accipiant, nisi sub conditionibus a coetu Episcoporum approbatis.

296. Curent singuli Episcopi in propriis dioecesibus media adhibere, quae unusquisque magis opportuna judicaverit, ut in dies Sanctimoniales docendi artem apprime calleant.

297. Prima ipsis Monialibus sit cura, ut in Religione et in scientiis ad Religionem pertinentibus puellae earum curae commissae de die in diem proficiant.

298. Sodalitates religiosae, ab Ordinario approbatae, pro puellis quae scholas frequentant, in unoquoque Conventu instituantur.

299. Videant Moniales, ut educatio, in quantum fieri potest, vitae domesticae apta sit, et ad conditionem educandarum accommodata.

300. Curent Superiorissae, ne quocumque sub praetextu, choreae, cantus, vel aliquid hujusmodi in earum scholis introducatur si Christianis moribus non conveniat.

301. Libri in bibliotheca pro usu educandarum sunt caute seligendi, et maximopere interest ut puellae in studiis et in lectione librorum rite dirigantur, ut in studiis utilioribus proficiant.

XXXIII.

DE FRATRIBUS QUI SCHOLIS PRAESUNT.

302. Inter praecipuas Ecclesiae Catholicae glorias recensendi merito sunt Ordines illi virorum Religiosorum, qui ad erudiendam spiritu intelligentiae ac pietatis juventutem sese devovent. Ut autem magis magisque augeantur bona quae, Deo opitulante, ex eorum opera dimanant haec statuenda decernimus.

303. Invigilent Episcopi, ut Constitutiones et Regulae Fratrum approbatae bene observentur.[1]

304. Videant Fratrum Superiores ut Fratres artem docendi bene addiscant, et ut quam optime erudiantur pueri eorum curae commissi, tum in iis quae ad Religionem, tum in iis quae ad scientias saeculares attinent.

[1] Vide Append. XXI. pag. 316.

305. Pactum inter Parochum et Fratres circa victum ipsis suppeditandum, et alia omnia quae ad administrationem scholae temporalem pertinent, caute scriptis mandetur, et accurate tum a Parocho tum a Fratribus servetur.

306. In diebus Dominicis Fratres parati esse debent ad opem ferendam in Catechismo docendo, sub directione Parochi.

307. Parochus vel per se vel per Vicarium, necnon Sacerdotes omnes ab Episcopo ad hoc delegati, jus habeant quascunque Fratrum scholas visitandi, disciplulosque tempore opportuno in doctrina Christiana instruendi, necnon juxta modum et tempus ab Episcopo probandum, in scientiis tum religiosis tum saecularibus examinandi.

308. Loca et aedificia scholarum parochialium, quarum cura Fratribus est demandata, necnon piae donationes, et legata pia pro hujusmodi scholis, et bona quae inde comparantur, fidei plurium curatorum committantur, quorum unus sit Episcopus, aliique sint ab ipso approbati.

309. Si quae vero sint loca vel aedificia vel bona parochialia ad scholas pertinentia, quae nunc a Fratribus proprio nomine possidentur, nobis congruum videtur, ut quam primum commode fieri potest, novi tituli aut instrumenta accurate juxta legem civilem et nomine trium vel plurium curatorum, uti jam dictum est, conficiantur, ut Ecclesiae vel paroeciae jura sarta tecta maneant.

310. Ad Episcopum pertinet, vel per se, vel per Sacerdotem ab eo delegatum, invigilare super redditus et expensas scholarum parochialium curae Fratrum commissarum.

311. Fratres eleemosynas ostiatim non colligant, nisi ex licentia tum proprii Episcopi, tum Episcopi loci in quo Collectae fiant : quam licentiam nonnisi in scriptis, et ad breve tempus, dandam esse censemus. Fratres nonnisi cum socio collectas faciant.

XXXIV.

DE SCHOLA NORMALI CATHOLICA.

312. Facultates necessarias et opportunas damus Episcopis a nobis ad hoc delegatis, ut, nomine hujus Synodi, Regulas conficiant et alia omnia faciant quae necessaria vel utilia judicaverint ad bonum regimen et profectum Scholae Normalis Catholicae S. Patritii recenter a nobis fundatae.

313. Statuimus alias pro nata occasione, et sicut res postulare videbuntur, fundandas esse scholas pro ludimagistris instituendis.

314. Magistrae autem in scholis Monialium in arte docendi sunt instituendae.

315. Justum et aequum esset quod supremi moderatores debitam redditaum publicorum proportionèm Catholicis darent ad subsidium scholarum Catholicarum normalium; et jura nostra in ista re sunt vindicanda.

316. Censemus taxam quamdam moderatam Episcopis et Presbyteris constituendam esse pro sustentanda nova nostra schola Normali, usquedum aliter pro ipsius sustentatione provisum fuerit.

XXXV.

DE COLLEGIIS ET SCHOLIS LITTERARUM HUMANIORUM.

317. Licet plurima per Hiberniam existant bonae notae collegia et scholae, in quibus juventus Catholica in litteris humanioribus et in scientiarum principiis eruditur, expedit tamen ut talium Academiarum numerus augeatur. Hortamur igitur Episcopos ut in oppidis majoribus, aut in aliis locis opportunis, scholas instituere satagant, ubi lingua Latina et scientiarum mathematicarum principia tradantur.

318. Ad scholas istiusmodi fovendas expediret quam-

doque sacerdotem ab Episcopo deputari, qui munus docendi in illis exerceret, et in doctrina fidei specialiter pueros erudiret.

319. Muneris autem nostri esse ducimus contra iniquam illam quae adhuc perdurat, reddituum et fundationum publicarum pro educatione distributionem reclamare. Etenim pluribus librarum millibus scholae secundariae Acatholicae annuatim dotantur, dum nec minimae hujus subsidii partis Academiae Catholicae fiunt participes. Justum et expediens esset, Collegia Catholica, saltem non minus quam Protestantium Scholas, pro numero et progressu discipulorum, partem habere reddituum publicorum, qui juventuti instituendae sunt assignati.

XXXVI.

DE SEMINARIIS ECCLESIASTICIS.

320. Quoniam "bonum est viro si portaverit jugum ab "adolescentia sua," et, sicut testatur Apostolus, "omnis "quidem disciplina in praesenti quidem videtur non esse "gaudii sed moeroris; postea autem fructum pacatissimum "exercitatio per eam reddet justitiae;" maximopere curare debent Episcopi, ut in Seminariis et Collegiis in quibus instituuntur pueri et adolescentes qui ad sacrum ministerium destinantur, bona semper disciplina existat, et pietatis spiritus ac studii amor jugiter vigeant. Sic enim fieri potest ut a teneris annis ad pietatem et Religionem Clerici informentur; nam, teste Tridentino (Sess. xxiii. de Reform. cap. 18) "adolescentium aetas nisi recte "instituatur . . . nunquam perfecte, ac sine maximo ac "singulari propemodum Dei Omnipotentis auxilio in dis"ciplina ecclesiastica" perseverat.

321. Ut igitur magis magisque in spiritu intelligentiae ac pietatis proficiant in dies Seminariorum alumni, omnes catechismum sedulo addiscant, et singulis Dominicis et festis de praecepto diebus opportune in rebus ad fidem vel mores pertinentibus instruantur. Praesertim vero ad SSm̃i Cordis Jesu cultum et ad tenerrimam erga Immaculatam Dei Matrem, Hiberniae Patronam et Sanctos omnes devotionem jugiter efformentur, necnon ad amorem Ecclesiae et Supremi ipsius Capitis, Christi in terris Vicarii et S. Petri Successoris, Romani Pontificis. Praxim orationis mentalis, seu meditationis, sedulo edoceantur, ut a primis annis spiritu orationis impleantur. Saepissime etiam cohortandi sunt, praesertim autem hisce temporibus, quando intemperantiae vitium tam grassatur, ut mortificationem Jesu semper in corporibus suis circumferentes, in omnibus temperantiae et modestiae studeant, et in omnibus Christi bonus odor fiant. Hinc sperandum foret, "ut in eis cum aetate vitae meritum et doctrina major "accrescat, quod et bonorum morum exemplum, et assiduum "in Ecclesia ministerium, atque major erga presbyteros et "superiores ordines reverentia, et crebrior, quam antea, "Corporis Christi Communio maxime comprobabunt." (Conc. Trid. Sess. xxiii. de Reform. Cap. ii.)

322. In Seminariis, in quibus juniores clerici una cum laicis educantur, Episcopus invigilare debet, ut qui ad sacrum ministerium sunt destinati instructionibus et exercitiis pietatis speciali quadam ratione ad disciplinam ecclesiasticam efformentur.

323. Quod ad studia autem attinet, expedit ut in omnibus Collegiis et Seminariis cursus saltem ad Rhetorices classem, inclusive, in quantum fieri potest, extendatur. Curent autem Episcopi, ut in disciplinis tradendis quam optima servetur methodus, et ut aemulationis et studii spiritus inter magistros et alumnos jugiter foveatur, ita ut singuli

quod Apostolus ad discipulum Timotheum scripsit, quasi sibi dictum existimet: "Attende tibi et doctrinae: insta "in illis. Hoc enim faciens et teipsum salvum facies et "eos qui te audiunt." (1 Tim. iv. 16.)

324. Rectores Seminariorum curent, propositis etiam praemiis, ut alumni in cantu gravi et ecclesiastico, sicuti supra statuimus, bene instituantur, atque sacras caeremonias probe ediscant.

325. Statuimus autem ut omnia et singula Seminaria et Collegia nostra cum Universitate nostra Catholica consocientur, ita ut in omnibus studiorum cursus cum cursu academico Universitatis juxta formam ab Archiepiscopis et Episcopis Hiberniae approbandam conveniat.

326. Studiorum etiam cursus in Collegio isto nostro S. Patritii apud Maynutiam cum cursu academico Universitatis conformetur, juxta formam ab Archiepiscopis et Episcopis approbandam.

327. Maximopere curare debent Episcopi, ut optimos quosque e Clero in Seminariorum Superiores et Professores seligant qui prudentia, pietate, doctrina, et caeteris omnibus viro ecclesiastico dignis dotibus studiosae juventuti praeluceant. Professores etiam seligantur, quantum fieri potest, ob praeclara in studiis merita. Ad Episcopos solos pertinet deputatio Superiorum et Professorum.

XXXVII.

DE COLLEGIIS REGINAE ET DE UNIVERSITATE ACATHOLICA DUBLINENSI.

328. Cum in Romano Pontifice Christi in terris Vicarium et Sancti Petri successorem agnoscamus ac veneremur, cui divinitus munus optimis doctrinis fideles instituendi, et a

pestiferis et veneno infectis pascuis arcendi, commissum est, libenti animo et eo, quo par est, obsequio monitis et rescriptis assentimur, quae respiciunt quaestionem de Collegiis Reginae, quaeque annuente Pontifice, a S. Congreg. de Prop. Fide nobis sunt communicata.[1]

329. Non solum litterae sed spiritui horum rescriptorum inhaerentes, Collegia ista reprobamus, et fideles curae nostrae pastorali commissos, in quantum possumus, ab iis avertemus.

330. Sacerdotes omnes aliosque clericos prohibemus, ne munus aliquod, quod ad administrationem horum collegiorum spectet, assumant; neve professores seu Decani residentiae in iis fiant.

331. Quod si quis Sacerdos aut clericus ad id temeritatis venerit, ut spretâ Sedis Apostolicae auctoritate aut hujus Concilii Plenarii statutis aliter agere ausus fuerit, suspensionem ipso facto incurrat.

332. Districte etiam Sacerdotes et clericos omnes sive Saeculares sive Regulares, et quidem sub gravi, prohibemus ne quis eorum consilio vel quovis alio modo parentibus et aliis curam juvenum habentibus suadeat, ut adolescentes eorum curae commissos ad praedicta collegia mittant, vel juvenibus ipsis, ut collegia praedicta frequentent. Nec clerici quocumque modo academiis istis faveant.

333. Ne vero fideles populi nostrae curae commissi, de quorum fide et aeterna salute ratio districta nobis Deo est reddenda, detrimentum aliquod ex nostro silentio patiantur, in epistolis pastoralibus gravia et intrinseca pericula a S. Sede memorata, quibus juvenes Catholici in hisce collegiis exponuntur, indicabimus, et frequenter omnes fideles gravissimis et charitate plenis verbis monebimus et hortabimur, ut ab his collegiis frequentandis, ne eorum fidei aliqua macula inuratur, aut pestifera aliqua doctrina inficiantur, omnino abstineant.

[1] Vide Append. XXII. pag. 322.

334. Visum autem est nobis eadem etiam statuere de frequentatione Collegii Acatholici Dublinensis (uti vocant) SS. Trinitatis: et eo vel magis quia in Academiam illam recenter inductum est systema Educationis mere saecularis.

335. Districte igitur Sacerdotes et clericos omnes sive Saeculares sive Regulares, et quidem sub gravi prohibemus ne quis eorum consilio vel alio quovis modo parentibus aut aliis curam juvenum habentibus suadeat, ut adolescentes eorum curae commissos ad praedictum Collegium SS. Trinitatis vel ad Collegia Reginae jam memorata mittant, vel juvenibus ipsis, ut Collegia ista frequentent. Nec clerici quocunque modo Collegiis istis faveant.

336. Invigilent Episcopi ut haec monita ab omnibus serventur, et ut omnes Confessarii habita ratione periculorum quae, prout a sancta sede declaratum est, istis Collegiis inhaerent, juvenes deterreant ne illa frequentent et eorum parentes ne ad eadem suos filios mittant.

XXVIII.

DE UNIVERSITATE CATHOLICA.

337. Quod autem ad Universitatem nostram Catholicam attinet, in memoriam revocamus omnium curae nostrae pastorali commissorum praesertim vero sacerdotum, quantopere Sancta Sedes Apostolica opus istud iteratis vicibus nobis commendaverit. Universitas ista post Synodum Nationalem Thurlesianensem feliciter incoepta, jam per annos viginti et amplius fidei vexillum palam inter maximas difficultates tulit, et bonos fructus fecit, licet non omnes, qui nobis in votis erant.

338. Statuimus igitur pecuniae summam, quae necessaria erit ad annuam Universitatis istius nostrae sustentationem, providendam esse ex collectis in omnibus et singulis dioecesibus quotannis faciendis.

339. Singulis vero annis, Dominica tertia mensis Novembris, collectae istae dioecesanae fiant.

340. Ut vero magis magisque per ipsam Universitatem Dei honor et Ecclesiae decus columenque in istis regionibus promoveantur, necnon juventutis Catholicae in Spiritu intelligentiae ac pietatis eruditio, enixe hortamur Episcopos et Ordinum Religiosorum Superiores qui Collegiis vel Scholis praesunt, ut Academias sub eorum cura positas quam arctissimis nexibus ipsi Universitati Catholicae colligent; alumnos et vel ipsos, si expedire judicaverint, magistros ad pericula in studiis facienda cohortentur, ut honores et gradus academicos adipiscantur, et ut in posterum, quantum prudenter fieri potest, magistros ex iis seligant, qui optimis moribus praediti, honorum etiam laudes in ipsa Universitate Catholica fuerint consecuti et bono testimonio a Superioribus Ecclesiasticis utuntur.

341. Omnes etiam Episcopos et Sacerdotes et fideles hortamur ut, pro data occasione, eis faveant, qui studia feliciter in Universitate Catholica fecerint, et qui suis respective Episcopis vel Parochis commendantur. Ex qua agendi ratione sperandum, fore ut quasi agmine facto, procul a nostris finibus Rationalismi et Indifferentismi monstra jugiter repellamus, et avitam Hiberniae nostrae gloriam denuo vindicemus ut Insula et Sanctorum et Doctorum et nominetur et sit.

XXXIX.

DE SOCIETATIBUS PROSCRIPTIS.

342. Nemini dubium est quin maxima damna ex societatibus secretis religioni et reipublicae proveniant, unde Ecclesia Dei gravissimis poenis easdem damnat, et filios suos continue hortatur ut diligenter eas omnino devitent. Ut omittamus quae de antiquioribus hujusmodi sectis a Romanis Pontificibus sancita sunt, Clemens XII. Summus Pontifex anno 1738 societatem quae *Masonica,* seu *Liberorum Muratorum,* dicitur, damnavit, et excommunicatione ejus asseclas perstrinxit: quae sententia ab aliis Pontificibus Benedicto XIV., Pio VII., Leone XII., Pio VIII., et Pio IX., feliciter regnante, renovata et confirmata fuit.

343. Neque a gravi delicto et poenis ecclesiasticis, quae latae sunt adversus Liberos Muratores, excusantur ii, qui in inferioribus sectae gradibus versantur et ejus secretis minime initiantur. In hanc rem legenda sunt sapientissima S. P. Leonis XII. verba:—"Pro certo habete neminem "earum participem sectarum esse posse, quin gravissimi "flagitii reus sit; eorumque verba ab auribus repellite, qui "ut vestrae in gradus suarum sectarum inferiores cooptationi "assentiamini, vehementer affirmant nihilum in gradibus "illis admitti, quod rationi, nihil quod religioni adversetur, "immo nihil vel praedicari vel perfici quod non sanctum, "quod non rectum, quod non incontaminatum sit. Etenim "jusjurandum illud nefarium, quod jam memoratum est "quodque in illa etiam inferiori cooptatione jurari debet, "satis per se est ut intelligatis nefas etiam esse levioribus "illis gradibus adscribi, atque in iis versari. Deinde, quam- "vis quae graviora et scelestiora sunt, iis mandari non soleant, "qui superiores gradus assecuti non sunt, perspicue tamen "patet perniciosissimarum harum societatum vim et audaciam "ex omnium qui iis nomen dederunt consensione et multi-

"tudine coalescere. Itaque ii etiam qui inferiores illos "gradus non sunt praetergressi, scelerum illorum participes "haberi debent; et in eos cadit illud Apostoli ad Romanos "cap. I. 'qui talia agunt, digni sunt morte, et non solum "'qui ea faciunt sed etiam qui consentiunt facientibus.'." (Litterae Apostolicae Leonis XII. *Quo graviora* III. Idus Martii 1825.)

344. Praeter Masonicam societatem aliae omnes societates quae similes illi sunt, seu iisdem principiis innituntur, eodem judicio proscriptae censentur, de quibus omnibus societatibus SSm̃us Dñus Pius IX. hanc sententiam edendam curavit: "Societates occultae, de quibus in Pontificiis "Constitutionibus sermo est, eae omnes intelliguntur quae "adversus Ecclesiam vel gubernium sibi aliquid proponunt, "exigant vel non exigant a suis asseclis juramentum de "secreto servando." (Decret. S. Officii 5 Augusti, 1846.) Et idem Pontifex in allocutione die 25 Sept. 1865, habita, eam esse Ecclesiae mentem declarat, ut *Masonica* "aliae-"que ejusdem generis societates quae specie tenus diversae "in dies coalescunt, quaeque contra Ecclesiam vel legitimas "potestates seu palam seu clandestine machinantur" reprobentur prorsus et condemnentur.

345. Porro novo decreto damnati fuere Feniani, qui paucis abhinc annis in societatem coaluerunt, quod decretum S. Congregatio S. Officii Episcopis Hiberniae qui Concilio Oecumenico Vaticano aderant, mense Junio anni 1870 tradendum curavit.

346. Haec itaque cum ita sint monendos fideles decernimus ut a secta Masonica et aliis damnatis societatibus quae sive clandestine sive palam, sive juramentum a suis asseclis exigant vel non exigant, sed ad Ecclesiae vel legitimarum potestatum detrimentum efformatae sunt, omnino abstineant, earum coetibus et conventiculis nunquam intersint, earum insignia non deferant, atque in earum

conviviis aut choreis partem non habeant, nec eis favorem ullo modo ostendant aut patrocinentur ne censuris ecclesiasticis irretiantur, et falsa rerum specie allecti, a professione verae fidei in indifferentismum aut naturalismum trahantur.

XL.

DE LIBRIS PRAVIS VITANDIS.[1]

347. Inter innumera quae hac aetate grassantur mala vix ullum magis plorandum est, quodve majus fidei ac moribus Christifidelium detrimentum infert quam "teterrima illa "tot undique volantium et peccare docentium voluminum "ac libellorum contagio qui apte compositi ac fallaciae et "artificii pleni, immanibusque sumptibus per omnia loca in "Christianae plebis interitum dissipati, pestiferas doctrinas "ubique disseminant, incautorum potissimum mentes ani- "mosque depravant." (SS. D. N. PP. Pius IX. Encyclica "*Qui pluribus*," die 9 Nov., 1846.)

348. Quam quidem tristissimam rerum conditionem etiam in nostra Hibernia existere, licet non tantum quantum in aliis quibusdam regionibus, minime est dissimulandum.

349. Etenim venales passim prostant, vilique praetio circumferuntur libri, libelli, novellae, necnon et ephemerides, quorum scriptores religionem ac morum honestatem sive aperto marte sive insidiose, impetunt et labefactare conantur. Hujusmodi porro scripta a Catholicis hominibus quandoque emuntur, in eorum domos recipiuntur, atque ab eorum liberis et domesticis sine delectu leguntur.

350. Quum igitur nostri muneris sit greges nostros ad salutaria pascua ducere et a venenatis avertere, vehementer in Domino omnes Sacerdotes praesertim vero animarum

[1] Vide Append. XXIV. pag. 343.

curam habentes hortamur et in visceribus Domini obsecramus, ut zelo Dei excitati tam publice quam privatim a fidelibus hujusmodi perversa scripta, si adsint, procul arceant.

351. Sicuti vero maxima laude digni sunt parentes et alii auctoritate praediti, qui et filios suos et domesticos ab hoc pestifero pabulo immunes servant, ita e contra acriter corripiendi sunt, qui neglecto hoc officio, quo et naturali et divino jure tenentur, et cujus rationem districtissimam supremo Judici sunt reddituri, suae domus curam non habent, immemores verborum Apostoli ad Timotheum: "Si "quis suorum, et maxime domesticorum, curam non habet, "fidem negavit et est infideli deterior." (1 Tim. cap. v. 8.)

352. Illos quoque qui praedictis libellis et ephemeridibus perversis, iis praesertim quae mentis puritatem commaculant (et ut plurimum ab exteris regionibus in hanc insulam nostram advehuntur), diffundendis operam navant, moneant pastores quantum sit ipsis flagitium fidem et bonos mores quaestui habere, et ex animarum ruina res domesticas augere, ut discant aliquando timere judicia a Redemptore nostro Christo iis denuntiata per quos scandalum venit.

353. Optandum ut qui ingenio sunt praediti et in litterarum studia incumbunt, vestigiis eorum insistentes, qui libellos Catholico spiritu plenos concinnando egregium sibi meritum acquisierunt, libros conscribant, quibus pietas foveatur mentesque delectentur simul et instruantur. Horum auctorum opera pastorum erit plebi commendare et insuper in bibliothecis parochialibus, iisdem locum dare.

354. Praecipimus autem ut libri de religione ex professo tractantes et libelli quicunque, seu folia, quae precum formulas continent, sine Episcopi licentia praelo non mandentur, nec venales a Catholicis exponantur. Cavendum etiam est de libris nomine tenus Catholicis et ad delectandum conscriptis, ne aliquid contra bonos mores vel fidem contineant.

XLI.

DE CURA DEFUNCTORUM.

355. Ex Sacra Scriptura discimus sanctam et salubrem cogitationem esse pro defunctis orare ut a peccatis solvantur, et Concilium Tridentinum definivit animas in purgatorio detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio juvari. (Sess. 25, dec. de Purgatorio.) Hinc consuetudines pias illas quae adeo invaluerunt in Hibernia, psalmum *De Profundis* post singulas missas recitandi, preces privatim pro mortuis fundendi, opera misericordiae peragendi et providendi ut missae pro eis celebrentur, omni cura servandas et promovendas existimamus.

356. Missa Solemnis aut officium pro defunctis nonnisi in Ecclesiis celebretur. Si absolutio danda sit in fine Missae, ab eo detur qui Missam celebravit. Si vero forte adsit Episcopus, licet non celebraverit, ipse ritum absolutionis peragere potest. Si quo in loco, in Hibernia missa solemnis *de Requiem* ob inopiam sacerdotum celebrari non possit SS. D. Pius IX. facultatem concessit, ut ejus loco, praesente cadavere, missa privata pro defunctis legi possit. (Ex Rescripto 29 Junii, 1862.)

357. Vigiliae profanae, praesente cadavere, cum lusibus, choreis, compotationibus, et cantibus, quae omnia domum luctus dedecent, omnino a parochis prohibeantur. Caveat quoque parochus ne alii in domo defuncti pernoctent praeter familiam et proximos consanguineos. Illam vero funestam et populo Christiano exitiosam consuetudinem suppeditandi potum inebriantem in domo defuncti, vel prope locum sepulturae, omnino reprobamus; hortamur vero Episcopos ut delinquentes hac in re graviter plectant.

358. Dum cadaver exponitur, convenit ut fiant preces pro

defunctis, recitetur rosarium, aut libri pii legantur, ut ex recordatione mortis et brevitatis vitae humanae, si qui ad vigilias concurrant, aedificationem percipiant. Piae societates pro defunctis magno adjumento in his gerendis esse possunt.

359. Hortamur fideles, ut gravibus impensis et vanae et inani pompae, occasione funerum, non indulgeant, sed potius opera charitatis peragant, missas celebrandas curent, precesque fundendas, quibus animae defunctorum adjuventur.

360. Sacerdotes qui officio pro defunctis in die depositionis vel trigesima aut anniversaria die assistant, convivia apud familiam defuncti non accipiant.

361. Ubi id judicaverit faciendum Episcopus, Capellani Asylorum pro pauperibus, dementibus aut aliis, preces quae praescribuntur in Rituali Romano peragant pro defunctis pauperibus vel in sacello asyli vel ad sepulchrum antequam corpus terrae tradatur.

362. Optandum ut coemeteria loco convenienti non procul ab Ecclesia in singulis paroeciis statuantur, quantum fieri potest, ut corpora defunctorum christiano modo sepeliantur, et ritus praescripti pro exequiis in Rituali Romano facile observari possint. Quod si coemeterium publicum sit, aliqua ejus portio Catholicorum sepulturae assignari debet.

363. Coemeteria catholica quae ab Episcopo consecranda sunt, aut saltem a sacerdote per eum delegato benedicenda, religiose et magna cura servari debent, cum in iis corpora defunctorum quae templa Dei fuerunt, sanguine Christi redempta, et sacramentis saepius refecta et sanctificata requiescant in expectatione resurrectionis mortuorum et diei ultimi judicii.

364. Crux in medio coemeterii erigatur et adhortandi sunt fideles ut ante eam aut intra coemeterium saepe preces fundant pro defunctis, et de vanitate rerum humanarum et de morte meditentur.

365. Laudari publice aliquem a laico in coemeterio benedicto seu orationem in funere ad populum haberi sine licentia Episcopi vetamus: nec parochus aut quilibet Ecclesiae rector aliter fieri patiatur. Si vero oratio funerea pro aliquo defuncto cum debita licentia habenda est, in ecclesia a sacerdote recitanda est post ultimum evangelium, et orator nec stolam nec superpelliceum deferat, sed tantum vestem talarem: peracto sermone fit absolutio.

366. Liberorum muratorum et cujuscunque societatis damnatae asseclarum funeribus, clerici non assistant, neque pro eis exequiae fieri possunt, nisi ante mortem sectis istis renuntiaverint et signa poenitentiae dederint.

367. Corpora sacerdotum aut aliorum non sunt intra Ecclesiam sepelienda absque expressa licentia Episcopi.

ELENCHUS

SYNODI DECRETORUM CUM NUMERO ARTICULORUM.

Omnia et singula in hac Synodo Nationali statuta, decreta, et acta, qua decet obedientia et reverentia auctoritati, correctioni, et emendationi Sanctae Romanae Ecclesiae, omnium Ecclesiarum Matris et Magistrae, et Romani Pontificis, Christi Vicarii judicio, emendanda, corrigenda mutanda subjicimus.

Ego, Paulus Cardinalis Cullen, Archiepiscopus Dublinensis, Hiberniae Primas, Delegatus Apostolicus et Synodi Praeses, definiens subscripsi.

Ego, Daniel, Archiepiscopus Armacanus, totius Hiberniae Primas, definiens subscripsi.

Ego, Joannes, Archiepiscopus Tuamensis, definiens subscripsi.

Ego, Thomas Guillelmus, Archiepiscopus Casseliensis, definiens subscripsi.

Ego, Guillelmus, Episcopus Corcagiensis, definiens subscripsi.

Ego, Franciscus, Episcopus Derriensis, definiens subscripsi.

Ego, Fr. Joannes Pius, Episcopus Dromorensis, definiens subscripsi.

Ego, David, Episcopus Kerriensis, definiens subscripsi.

Ego, Thomas, Episcopus Fernensis, definiens subscripsi.

Ego, Laurentius, Episcopus Elphinensis, definiens subscripsi.

Ego, Michael, Episcopus Rossensis, definiens subscripsi.

Ego, Joannes, Episcopus Galviensis, definiens subscripsi.

Ego, Georgius, Episcopus Limericensis, definiens subscripsi.

Ego, Patritius, Episcopus Dunensis et Connorensis, definiens subscripsi.

Ego, THOMAS, Episcopus Midensis, definiens subscripsi.

Ego, NICOLAUS, Episcopus Kilmorensis, definiens subscripsi.

Ego, GEORGIUS, Episcopus Ardacadensis et Cluanensis, definiens subscripsi.

Ego, JACOBUS, Episcopus Clogherensis, definiens subscripsi.

Ego, PATRITIUS, Episcopus Clonfertensis, definiens subscripsi.

Ego, JACOBUS, Episcopus Rapotensis, definiens subscripsi.

Ego, FRANCISCUS, Episcopus Achadensis, definiens subscripsi.

Ego, HUGO, Episcopus Alladensis, definiens subscripsi.

Ego, PATRITIUS FRANCISCUS, Episcopus Ossoriensis, definiens subscripsi.

Ego, JOANNES, Episcopus Waterfordiensis et Lismorensis, definiens subscripsi.

Ego, JOANNES, Episcopus Cloynensis, definiens subscripsi.

Ego, JACOBUS, Episcopus Arcadiopolitanus et Coadjutor ac Procurator Episcopi Kildariensis et Leighlinensis, definiens subscripsi.

Ego, JACOBUS, Episcopus Echinensis et Coadjutor ac Procurator Episcopi Laonensis, definiens subscripsi.

Ego, FRATER BRUNO, Abbas Cisterciensis de Monte Melleario, privilegio admissus, definiens subscripsi.

Praedicta Acta et Decreta accurate in omnibus cum authentico exemplari respondent, et emendationes a S. Congregatione de Propaganda Fide praescriptae, locis suis insertae sunt.

✠ PAULUS CARD. CULLEN,

Archiep. Dublinensis, Hiberniae Primas, Synodi Praeses.

PASTORAL ADDRESS

OF

THE ARCHBISHOPS AND BISHOPS OF IRELAND,

ASSEMBLED IN NATIONAL SYNOD AT MAYNOOTH,

TO THEIR FLOCKS.

In their Pastoral Address, issued from the first Plenary Council assembled in this country since Catholic Emancipation, the Bishops of Ireland expressed their humble trust that the Synod then closing at Thurles should become an epoch in the history of our National Church, and a source, not only of present and immediate benefits, but also of light and influence on the future. Twenty-five years have elapsed since these words were uttered; and although a quarter of a century is but a brief moment in the life of the Church of God, *in whose sight a thousand years are as yesterday,*[1] yet it has been long enough to furnish proof that these hopes have been abundantly fulfilled.

The history of the Catholic Church in Ireland during the last twenty-five years is a history of graces, manifold and surpassing rich, outpoured on her by God, *like precious ointment on the head, running down to the skirts of her garment, as the dew of Hermon which descended on Mount Sion.*[2] It would seem as if the Synod of Thurles marked that turning point in her fortunes, of old beheld in vision by our apostle St. Patrick, when he saw the mystic lights of her holy places that had been reduced to a faint glimmer, flash forth, at a given time, far and wide, in all the beauty

[1] Psalm lxxxix. 4. [2] Psalm cxxxii. 2, 3.

of their pristine brilliancy. Those years have brought to Catholic Ireland what the Prophet designates the *revenge of recompense.*[1] This divine form of revenge is the answer which Providence ever gives to the cries and tears of those who meekly suffer persecution for justice' sake. In it God's mercy repairs the wreck made by man's cruelty, and gives back to the victims of injustice, in greater fulness than before, the blessings of which they had been despoiled. *The land that was desolate and impassable shall flourish like the lily: it shall bud forth and be glad, and the wilderness shall rejoice and shall blossom, and shall rejoice with joy and praise; the glory of Libanus is given to it; the beauty of Carmel and Saron, they shall see the glory of the Lord and the beauty of our God.*[2] And most fittingly has this dispensation of mercy been linked, in the case of Ireland, to the Synod of Thurles, which, among the other synods registered in our history, holds a place of influence peculiarly its own. In it, for the first time, the Irish Church, at the issue of her three centuries of martyrdom, was enabled calmly to survey her own condition, to mark the wounds of which in the heat of the struggle she had hardly been conscious, and to replace in fair order, according to the Sacred Canons, the scattered stones of her sanctuaries. It was one of the first fruits of the blood of her countless Irish martyrs, who had sown in tears that we might reap in joy. It was held amid the prayers of an entire nation, chastened by heroic endurance of recent suffering. Its voice was the unanimous voice of the entire body of the Irish Bishops, speaking with authority inherited, through long lines of venerable predecessors, from the sainted founders of the ancient Episcopal Sees of the land. It was convoked in face of a great danger threatening the faith of the country, and in obedience to a special mandate from the Apostolic See, in whose loving guidance

[1] Isaias xxxv. 1. 4. [2] Ibid.

all afflicted churches are sure to find "defence and security, "a haven where no waves swell, and a treasure of "blessings innumerable."[1] The work of such a Synod was not meant in the designs of God to be transient, nor was its influence to perish as soon as its immediate objects were attained; but, rather, its spirit was long to survive, to be to the Irish Church an abiding source of vitality and strength in which, from time to time, her youth may be renewed as of an eagle.

Gratefully acknowledging the benefits bestowed on us by God through the Synod of Thurles, in the National Synod which has just been happily completed at Maynooth, we have prayed with the Prophet, that He would once again renew His own work: *O Lord! thy work, in the midst of years bring it to life.*[2] And in the regulations we have made for the renovation of discipline, and for the promotion of piety and morals, it has been our study to follow as far as possible the lines traced in the decrees of Thurles, so that, together united, the enactments of both Synods might form one compact code of ecclesiastical law in keeping with the requirements, and adequate to meet the dangers of our time. In accordance with canonical usage, the results of our deliberations shall not be made public until they shall have received the approbation of the Roman Pontiff, to whom belongs "the full and supreme "power of jurisdiction over the entire Church, not merely "in things that appertain to faith and morals, but also in "what concerns the discipline and government of the "Church spread throughout the world."[3]

But, while awaiting this solemn sanction, without which our Synodical enactments lack authority to bind, we feel it incumbent on us to address to you, dearly beloved, on this solemn occasion, words of congratulation and thanks-

[1] St. John Chrysost. Ep. ad. Innocent I. [2] Habacuc iii. 2.
[3] Vatican Council, constit. *Pastor Eternus*, cap. iii.

giving for the spiritual blessings God has so bounteously bestowed upon you; words of warning, against the special dangers that at present beset you; and words of guidance, that you may walk wisely in the midst of the snares and violence of the present persecution, *because the days are evil.*[1]

Conspicuous among the graces you have received shines forth your gift of faith, of which it may truly be said, *that it is spoken of in the entire world.*[2] Judged by the tests of a people's faith as assigned by St. Augustine, the Irish still possess, in its original intensity, that grace of Faith which, St. Patrick tells us, made them even in his day pre-eminently "the people of the Lord and the sons of "God." The holy Doctor accounts it as a miracle—nay, as the sum of many miracles together—that in an entire people the knowledge of the true God and of the mysteries of religion should not be confined to a few among the learned, but possessed even by the simple people; that abstinence and fasting should be held in honour and practised; that chastity should be prized beyond wedlock and offspring; that patience should be kept under crosses and in spite of trials the most burning; that liberality should be practised to the length of distributing whole patrimonies among the poor; that, in fine, men should so despise this world as to desire even death. We thank God, dearly beloved, that this miracle of Faith may daily be witnessed in Ireland. Whilst in other countries religious influences are on the wane, and the exclusion of the supernatural from social and political life becomes daily more and more complete, Ireland, faithful to her Christian instincts, ranks among her grandest national glories the Christian traditions of her past, and, in the present, boldly avows that her inmost thoughts and her dearest wishes, belong, first

1 Eph. v. 16. 2 Rom. i. 8.

of all, to Christ her God and to His holy religion. In the midst of a sensual and cynical age she honors as supernatural virtues what modern public opinion derides as superstitions, and, even if, through human weakness, the popular practice should fail, the popular feeling never swerves from the correct estimate of what is good. And in this is manifest the strength of Irish Faith; for, as St. Augustine concludes,[1] "Few do these things; fewer still do them "well and wisely; but the people approve them, the people "listen for them, the people cherish them—nay, the people "love them; and with hearts uplifted to God, and glowing "with the sparks of virtue, they bewail their own weakness "that hinders them from achieving so much."

From this lively Faith it comes that in Ireland such multitudes habitually flock to the Sacrament of Penance and of the Eucharist, and that in almost every parish, in the pious confraternities of the Holy Family, of the Sacred Heart, of the Blessed Virgin, or of St. Vincent de Paul, thousands are walking in the path of perfection. To this we owe the magnificent churches that are everywhere springing up throughout the land; the colleges and schools in which religion is united to learning; the convents, within which as in a closed garden, the consecrated virgins of Christ live but for their Heavenly spouse, for His little ones, and for His poor; the hospitals and asylums, in which the victims of every form of human suffering find loving and skilful hands to heal and to refresh them. This spirit of Faith in Irish hearts has become under Providence the foundation-stone of new and flourishing churches beyond the seas, in America and Australia, in Africa and India; and as in the early ages of our Church's history glorious bands of apostles went forth to evangelize the various countries of Europe, so now, obedient to the generous

[1] St. Augustine, lib. de "Utilitate Credendi," c. 16, 17.

impulses of the same spirit of Faith, the Irish missionary goes forth to gather together in the land of their exile the children of St. Patrick, to make of each new congregation a fresh centre for the propagation of Catholic truth. *Blessed,*[1] then, for ever, *be the God and Father of our Lord Jesus Christ, who hath blessed us with spiritual blessings in heavenly places, in Christ.*

Would that this victory of our Faith were made complete by the return to Catholic unity of so many of our Protestant fellow-countrymen whom we now daily behold wandering as sheep without a shepherd. The disestablishment of the Protestant Church has removed one great obstacle that hindered their approach to the one fold; and it is our earnest desire that now, at length united with us, they would follow the one Bishop and Pastor of our souls. We would address them with the same affection, and in the same language as St. Augustine[2] addressed the Donatists of his day, "Come, brothers! come, that you may be engrafted on the "true vine. You yourselves cannot but perceive what the "Catholic Church is, and what it is to be cut off from the "stem." See how beautiful our Catholic unity in doctrine, by which the Faith is preached without shadow of change, and with authority, in each cathedral and church; its creeds reverenced by the faithful; its teaching set high in our academies above the assaults of infidelity and the contradictory wranglings of so-called scientific theories. See how striking our Catholic unity in government, by which spiritual jurisdiction, issuing from Christ, flows in fair subordination through bishop and priest, so that each pastor knows his own flock, while his flock knows him and hears his voice. What a contrast between this blessed vision of peace within the Church and the scene of disorder and tumult that oppresses you outside! There, each pulpit is the centre of a different

[1] Eph. i. 3. [2] St. Aug. Psal. Cont. partem Donati, Coll. 5.

teaching, which, delivered without authority, is heard without submission; there, the deepest foundations of Christianity are uptorn, to be defaced or shaped anew, according to the capricious vote of an excited assembly, whose only claim to obedience is its own hostility to authority; there the flock strays at will from the shepherd to follow after strange masters whose own the sheep are not. "If then," continues the Holy Doctor, "if there be among you any who "have care of themselves, let them arise, and come and draw "vigour from the Root. Let them come before it be too "late; before they lose the little Catholic sap that yet "remains to them, and become dry wood fit only for the fire. "Come, then, brothers, and be engrafted on the vine. It "grieves us to see you lying withered as you are, lopped from "off the tree of life. Reckon one by one the Pontiffs who "have sat in the chair of Peter. See how in due, unbroken "order these Fathers of the Catholic Church have followed "one after another; and there, not elsewhere, shall you find "the rock which the proud gates of hell overcome not."[1]

But, dearly beloved brethren, this inestimable treasure of your Faith is at present beset by grave dangers, against which it is our duty to warn you. Of these dangers the mixed system of Education—Higher, Intermediate, and Primary—which, with such obstinate persistence, it is sought to force on an unwilling country, is, unhappily, a fruitful source. Already, before the Synod of Thurles, our Holy Father Pope Pius IX. had given solemn warning

[1] "*Scitis Catholica quid sit, et quid sit praecisum a vite.*
Si qui sunt inter vos cauti, veniant, vivant in radice,
Antequam nimis arescant, jam liberentur ab igne.
Venite, fratres, si vultis, ut inseramini in vite.
Dolor est cum vos videmus ita jacere.
Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Petri sede.
Et in ordine illo patrum quis cui successit videte.
Ipsa est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae.'

to the entire Church of peril approaching from this quarter. "You well know," he said, "that the modern enemies of "religion and human society, with a most diabolical spirit, "direct all their artifices to pervert the minds and hearts of "youth from their earliest years. Wherefore they leave "nothing untried; they shrink from no attempt to withdraw "schools and every institution destined for the education of "youth from the authority of the Church, and the vigilance "of her holy pastors."[1] Within the twelve months that immediately preceded that Synod, the danger thus foretold was brought home to Ireland by the establishment of the Queen's Colleges. Such was the constitution of these Colleges, that the Holy See declared them to contain grave and intrinsic dangers to faith and morals; and that as such they were to be rejected and avoided by all faithful Catholics. More recently still, the constitution of Trinity College, Dublin, has undergone a fundamental change of such a nature that it, too, has become a great centre of Godless Education. Moreover, the dangers which thus beset Higher Education, exist also in the kindred institutions created to serve the purposes of Intermediate Education, and especially in the National Model and Training Schools. Nor are the Primary Schools exempt from them. The radical defects inherent in the mixed system to which these schools belong, have not grown less by time, nor has the practical working of them been such as to remove the feeling of distrust which they originally inspired. The Fathers of the Synod of Thurles, notwithstanding their avowed objections to the system of Irish National Education in itself, and their strong preference of Denominational Education, were not unwilling to continue the experiment already allowed in case of the Primary National

[1] Encyclical Letter of Pius IX., 8th December, 1849.

Schools, on condition that every fitting precaution should be employed to render them as little dangerous as possible. In carrying out these measures of precaution, we regret to say, Catholic managers have been frequently thwarted. The Board of Commissioners, with the constitution of which this Catholic nation has never had reason to be fully satisfied, has too often refused to take into account the repeated expression of the desires of Catholic parents, and the declarations of those whom these Catholic parents recognise as their spiritual guides. The control of the State over the education of the country has been enlarged in a degree perilous to liberty, while the circle within which the rights of parents or of conscience should have sway has been proportionately narrowed.

Within the last twenty-five years much has been successfully done to guard against the dangers of these educational institutions, but much more remains to be done. In obedience to the decrees of the Sovereign Pontiff declaring the system of education, of which the Queen's Colleges were part, to be fraught with grievous and intrinsic perils, the Fathers of the Synod of Thurles warned you against these institutions with all the energy of their zeal and all the weight of their authority. Hardly had they communicated their decision to their flocks when, as a body, these Catholic people of Ireland turned away from the Godless places of education, peremptorily rejecting the proffered boon because it carried with it injury to religion. And although from time to time, a few Catholics have judged it to be their interest to grasp at the rich prizes held forth to entice students to enter these Colleges, yet, the official records show that these institutions have failed to attract any considerable number of Irish Catholics, for whose benefit they were ostensibly erected. Never before was so vast an expenditure of money and of powerful

patronage followed by failure more unmistakable. It soon became felt that a remedy should be applied to a state of things which was admitted to be miserably and scandalously bad. And although the remedy it was sought to apply fell short of its aim, yet the admission of the necessity that existed for its introduction, and still more, the history of the causes that led to its failure, go to show that a footing has been secured in public opinion for the interests of religious education, which, however narrow as yet, affords no insecure basis to build upon in the future. Never again, we confidently trust, will any government attempt to force upon Catholic Ireland a system of education adverse to the purity and integrity of our Holy Faith.

To supply the youth of the country with a sound and comprehensive system of higher education, based on religion, denied them in the Queen's Colleges, the Catholic University of Ireland was founded. In announcing this important undertaking, the Synod of Thurles, conscious of the difficulties that barred the path to success, indulged in no fond hopes of a rapid and premature development for the institution. "As great undertakings cannot be realized in a moment," said the Synod, "some time will be necessary for collecting and combining our resources, and giving maturity and organization to the plan." To promote the work thus inaugurated, material resources have not been wanting.

And in spite of the competition of the richly endowed Universities of the State, in spite of the opposition of politicians, in spite of the frown of those in power, and notwithstanding its present inability to give degrees, the Catholic University has bravely sustained for twenty-five years the unequal struggle against irreligious education. It is forming in its own spirit the professors and masters, who in a few years will have the intermediate education

of the country in their hands. Recently its examining function, on the principle of the London University, has received a considerable development, and already the students of some forty affiliated colleges, among which are those most conspicuous for wealth and numbers, submit to its tests their proficiency in studies undertaken under its direction. Thus, gradually, peaceably, laboriously, the University is binding to itself a force which, by its healthy expansion, will securely lift it into a position of authority which no government can give or take away. It will be impossible to withhold from an University, the educatrix of a nation, that legal recognition and those public rewards of learning which, although the property of the entire people, have hitherto been monopolized by a section of the community. As long as it shall be esteemed an excellent thing in a people to hold unsevered in their hearts love for God, for country, and for learning, so long shall the present generation of Irishmen be entitled to praise for having, with great sacrifice, laid broad and deep the foundations of an University, which, living by and for the Irish race, should give back the resources drawn from their generosity, in every form of highest culture, sanctified by Religion, enlightened by Science, and in fullest harmony with the national spirit.

To counteract the evil influences of the Model and Training Schools, and to meet the ever-increasing need of Catholic teachers, we have determined to establish a Catholic Training School for Masters, under the protection of St. Patrick, the Apostle of Ireland, and under the immediate care of the Vincentian Fathers. The establishment of such an institution we regard as a highly important condition of success in the struggle in which we are engaged on behalf of Catholic education. We look forward with earnest longing for the day in which, by its means, we shall be enabled to

confide the little ones of our flock to teachers who, themselves trained under the salutary influences of religion, shall have learned how to form the opening mind of the child, and store it with secular knowledge, while they guide it to the better and higher knowledge and practice of religion. This important work we confidently recommend to your generous charity. You who know how awful the responsibility that weighs on a parent's soul, and how appalling the sentence pronounced by the Apostle against the man who has no care of his own, and especially of those of his own household, will, we have no doubt, assist us in this new undertaking, from which you yourselves are to receive the greatest help towards the discharge of one of your most solemn obligations.

As for ourselves, dearly beloved, it is our clear duty, as it is our fixed determination, never to desist from our exertions until Catholic education shall have been placed on a firm and permanent basis in the country. We have not read the history of our country's struggles for Catholic Emancipation without fruit. We know that the constitutional battle against Protestant ascendancy had to be maintained for more than one generation; and now a generation has scarcely passed since Emancipation was won, and not only has Protestant ascendancy disappeared, but the Protestant Church, which gave it consistency, has been disestablished by the Legislature. Even should our struggle for religious education against the mixed system last as long, we will not flinch; for on our steadfast perseverance depend the religious destinies of our country, and the faith of millions yet unborn.

But, there are yet other dangers against which we must raise our warning voice. With deepest pain, and after the example of the Apostle, weeping, we say, that the abominable vice of intemperance still continues to work dreadful

havoc among our people, marring in their souls the work of religion, and in spite of their rare natural and supernatural virtues, changing many among them into "enemies of the Cross of Christ, whose end is destruction; whose god is their belly; and whose glory is in their shame."[1] Is it not, dearly beloved, an intolerable scandal, that in the midst of a Catholic nation, like ours, there should be found so many slaves of intemperance, who habitually sacrifice to brutal excess in drinking not only their reason, but their character, the honour of their children, their substance, their health, their life, their souls, and God himself? To drunkenness we may refer, as to its baneful cause, almost all the crime by which the country is disgraced, and much of the poverty from which it suffers. Drunkenness has wrecked more homes, once happy, than ever fell beneath the crowbar in the worst days of eviction; it has filled more graves and made more widows and orphans than did the famine; it has broken more hearts, blighted more hopes, and rent asunder family ties more ruthlessly than the enforced exile to which their misery has condemned emigrants. Against an evil so widespread and so pernicious, we implore all who have at heart the honour of God and the salvation of souls, to be filled with holy zeal. We warn parents and employers that they are bound to set in their own persons an example of temperance to those who are subject to them, and to watch lest through their own negligence those intrusted to their charge should fall victims to drink. We exhort artisans and other members of the working classes, to join some one of the pious confraternities approved of by the Church, in which, if they be faithful to the observance of their rules, they will find a school of Christian self-denial. We bless from our hearts those zealous ecclesiastics and others, who, in accordance

[1] Philipp. iii. 18, 19.

with the spirit of the Church, devote their time and energies to forwarding the cause of temperance; and we would remind all, that however valuable other helps may be, there exists but one unfailing source whence human weakness can draw strength to resist temptation and break the bonds of evil habits. That source is the Sacred Heart of Jesus, the everflowing fountain of mercy, from which through prayer and the Sacraments we receive grace in seasonable aid. The habit of daily prayer faithfully persevered in; frequent and worthy approach to the Holy Sacraments; the devout hearing of the Word of God; and the avoiding of dangerous occasions, are the only sure means by which intemperance can be overcome.

We must also warn you, beloved brethren, against a serious evil which threatens to sully the lustre of that modesty and purity for which Ireland has always been remarkable among the nations. We allude to those dangerous amusements in theatres and elsewhere, in which the delicacy of Christian feeling is outraged by representations, either unblushingly licentious, or more dangerous still from the half-veiled indecencies they suggest. To these we must add the improper dances which have been imported into our country from abroad, to the incalculable detriment of morality and decency. Such dances have always been condemned by the Pastors of the Church. This condemnation we here renew; and we call upon all to whom God has intrusted the care of immortal souls, to use every exertion to banish from our midst what is clearly of itself an occasion of sin. St. Francis of Sales,[1] that most indulgent of spiritual guides, addressing the people of the world, has left it written that innumerable souls are suffering eternal punishment for sins they had committed in dancing, or which were occasioned by dancing. We

[1] "Devout Life," chap. 23.

cannot but admire those heads of families, who, in obedience to the teaching of their Pastors, resisting the torrent of evil custom, have closed their doors against these forbidden amusements, lest they should stain their conscience by exposing themselves or others to the danger of spiritual ruin. God is a faithful rewarder; and such parents may rest assured that, as in the government of their household they have imitated the holy Tobias, who taught his child *from his infancy to fear God and abstain from every sin,*[1] so, like him, they shall one day find joy and comfort in the domestic happiness of the children they have brought up so well, and through them be filled, even in this life, with all good.

At no other time, perhaps, in the history of the Church have Catholics had more need of prudent energy than at the present. The spectacle of Catholic progress galls our enemies as sorely as the sight of the towers of Sion, rising from their ruins under Esdras, galled the Gentiles around, who, *when they heard that the walls of Jerusalem were made up, and the breaches began to be closed, were exceedingly angry: and they all assembled themselves together, to come, and to fight against Jerusalem, and to prepare ambushes. And the enemies said: let them not know or understand, till we come in the midst of them, and kill them, and cause the work to cease.*[2] Wherefore also, we, who, like the Jews, are engaged in again building up the Holy City of God, like them, must defend, inch by inch, the sacred fabric as it springs up beneath our hands. The more so because our adversaries, like those of the Jews, affect a warfare of mingled violence and craft. One distinguishing characteristic of the policy that at present assails the Church is, that it deals its most deadly blows in the name of civilization, and in defence of authority.

[1] Tobias i. 10. [2] 2 Esdras, iv. 7-11.

It is highly instructive to note the cause and progress of the striking change that has taken place in this respect, within the last twenty-five years. The authors of the revolutionary excesses of 1848, imitating the example of their predecessors, assailed the Church by holding her up to execration as the mainstay of the constituted authorities. The authors of the persecuting laws of the present day denounce her on the ground that due civil allegiance melts before her teaching. At that time, she was accused of being the accomplice of the civil power in enslaving mankind, now, she is denounced as a rebellious subject who would lord it over the civil power itself. How has it come to pass that accusation has thus been exchanged for accusation? It is because the Revolution itself has changed its position with regard to the seat of power. It has gradually gained possession of the authority against which it formerly conspired, and its irreligious principles have come to shape, more or less distinctly, the legislation of modern governments. But, in the hour of its triumph, it has felt that it must silence the Church, or be resigned to see its present advantages swept from it, one by one, before the vigour of the renewed faith of Christian nations. Hence proceed those imperious demands, addressed to the Church, of absolute submission to the will of the State, even in what vitally affects her own existence. Hence, when the Church, although ever willing to give to Cæsar what is Cæsar's, refuses to surrender to him also that which is God's, the cry of treason is raised, and her assertion of her own spiritual liberty and of the liberty of men's souls, is pronounced to be disloyalty. From this to persecution there is but a single step; and that step is secured by flooding the public mind, artfully prepared for their reception, with travesties of the Syllabus and of the Vatican Decrees. Then, the Statute Books are filled with

penal laws so wide and deep in their range, as to render impossible, in this age, the free exercise of the Catholic Religion. Such is the history of the recent legislation in Germany, in Switzerland, in Brazil, in Italy, and in other nations—a legislation based on principles inevitably tending to fling back society, which Christianity had made free, under the pagan bondage of brute force.

Against this revolutionary spirit, whether it speaks from high places by the lips of statesmen, or in the cries of a misguided mob, it is our imperative duty, dearly beloved brethren, to defend, by every lawful means, our rights and liberties as Catholic citizens. But we must frame our defence in accordance with the justice and moderation of the principles of the Holy Catholic Church. He who allows his indignation at the wrong done him to hurry him into unlawful resistance, is false to her teaching equally with him who sacrifices his conscience at the unjust bidding of those in power. The true Catholic is neither a rebel nor a slave: and while he cheerfully yields to authority the obedience which is its due, he refuses, with Christian manliness, to submit to claims, however specious, which invade the rights of God or of man.

Against one of these claims we desire here specially to warn you, dearly beloved brethren, both because it is the envenomed root whence the present persecution has issued, and because it is continually obtruded upon Catholics by the press as an indisputable proof that the motive of the present persecutions is political, and nowise religious. We allude to the claim put forward on behalf of the State to make laws that strike at the Church's very life, on the ground that to the State belongs the control of the whole external order of society. This claim, apparently so modest, expands, if once admitted without limitation, into a system of despotism the most crushing. It is such as

would justify the suppression of the Christian Religion itself; for that religion is not a religion of mere sentiment, but of positive doctrines and precepts, that must absolutely clothe themselves in external acts. It belongs essentially to the practical order; for it is the religion of a Redeemer, who came as a second Adam to undo the work of the first. There remains no portion of human life which He did not raise up, touch, cleanse, and repair by the efficacy of His restoring grace. The heart and the hands of man, his soul's life and his body's energy, his interior and exterior faculties, with their acts, have all their duties set forth in His law. Moreover, the second great Christian commandment absolutely imposes an external action so wide as to embrace all humanity. Is not the whole earth covered with monuments of Catholic charity, the magnificence and multitude of which attest that the Christian religion is impelled, by the very necessity of its nature, to give to its principles the practical expression of external acts? How, then, can it be that the Founder of Christianity has given power to the State to control the entire series of external acts, without which His religion cannot live? And not only to control them, but to determine what act belongs to religion and what to politics? And not only to determine the limits of the religious and the civil order, but to employ as the guiding principle of such determination, not the eternal interests of man, which the modern state affects to overlook, but the material interests of this world, corrupted as they are by the poison of the triple concupiscence that wars against the soul? And, above all, that this secular principle is to be, of preference, applied precisely to those subjects in which the Christian conscience claims the greatest part, such as marriage, which is the foundation of the Christian household; the education of children, which is one of its chief duties; charity towards the poor; and

M

the religious life, as well in its inner part, which are its vows, as in its outward maintenance and action. To admit such a system as this, even in theory, is to concede that the Christian religion, far from being, according to the Divine plan, the true Light of the world, has absolutely no right to exist as a society.

And be not deceived by those who say that this is mere exaggeration, and that no one dreams of extending to all the details of the Christian life the right of absolute control over the external order of society claimed for the civil power. We ought never forget the warning of our great countryman, Edmund Burke, that "doctrines, limited "in their present application, and wide in their general "principles, are never meant to be confined to what "they at first pretend. A theory concerning govern-"ment may become as much a cause of fanaticism "as a dogma in religion."[1] And what but fanaticism of the darkest dye prompts those persistent efforts, made at home as well as abroad, to frame legislation so as to exclude religious influences from every social institution? And is not the fanaticism born of irreligion as aggressive, as narrow, and as cruel as the worst that has ever resulted from distorted religious feeling? Irish Catholics have too often had reason to complain that this fanaticism has interfered with the just settlement of questions in which their dearest interests were concerned; and you are absolutely within your right, dearly beloved, when you resent it, and combat it, whenever and wherever you may meet it, by every lawful means in your power. You have, indeed, no right to expect that the State will teach religion; nay, you should resist its assumption of such an office, should it attempt the task. But you have a right to demand that the State shall not teach irreligion; that it shall not, out of the public treasury, maintain unbelieving professors, whose

[1] "Ed. Burke's Works," vol. iii., page 98, Bohn's Ed.

work it is to sap belief in the great primary truths, without which society must break up and perish miserably. Such truths are the existence of God and of the soul; the moral distinction between right and wrong; the sanctity of marriage; the respect due to religion; the duty of obedience to parental authority. To establish a system of education which may be perverted into an organized attack upon these truths, or upon any of them, is inevitably to prepare the destruction of religion and of social order; and you have a right to demand that your children shall not be exposed to its pernicious influences. These rights, beloved brethren, and others kindred to them, you are bound to maintain. Compromise them you dare not, for they are not altogether yours; they are likewise the rights of immortal souls, and of the Catholic Church. They are interwoven with the gravest responsibilities devolving on you as citizens, as parents, and as Catholics. They form part of the sacred, inviolable domain of conscience, in defence of which the Holy Ghost commands you to *strive for justice for your soul, and even unto death fight for justice, and God will overthrow your enemies for you.*[1]

But, beloved brethren, in your struggles to prevent the passing of unjust laws, or to repeal or correct disadvantageous laws under which you smart, you must never throw off that reverence for authority itself which the Christian religion inculcates. God is the author of society; society cannot exist without authority; and the law is the voice of authority: whence the Apostle says: *Let every soul be subject to the higher powers: for there is no power but from God: and those that are, are ordained of God. Therefore, he that resisteth the power resisteth the ordinance of God: and they that resist purchase to themselves damnation.*[2] In whatever form of lawful government this authority resides, no matter

[1] Eccl. iv. 33. [2] Rom. xiii. 1, 2.

how unworthy its holder may be, the Catholic Church traces its origin back to God. *There is no power but from God.*[1] "What say you," asks St. John Chrysostom, "is, then, every prince constituted by God? I do not say so," he replies, "nor do I speak of any prince in particular, but of the thing in itself, that is, of the power itself: I affirm the existence of rulership to be the work of the Divine wisdom, and to it we owe that all things become not the sport of rash hazard. Hence the Apostle does not say *there is no prince but from God*: but he speaks of the thing itself: *there is no power but from God.*"[2] This Christian feeling of reverence for the divine element of human authority has well been styled by Tertullian, *the Religion of second Majesty*, for it is at once a religious obligation of the majesty imparted to human authority by the presence within it of the Divine power, which, through it, directs and governs men.

When the Emperor Valentinus decreed that one of their Basilicas should be taken from the Catholics of Milan and consigned to the Arians, the faithful people, although threatened with severe punishment for their disobedience, refused to execute a decree so entirely opposed to the dictates of their conscience and to the law of God. But, even under the passionate excitement into which the unjust law had plunged them, they listened to the counsels of their Bishop, the great St. Ambrose, who forbade them to defend their undoubted right by violence or bloodshed. "Let us bless God," cried the Saint, "who this day made you strong in faith and in patience. What reply could be more worthy of Christians than that which the Holy Spirit placed on your lips: *we are here, O Emperor, to pray, not to fight; we petition, but we fear you not!* This," adds the Saint, "is the true Christian rule of conduct—first, to do every-

[1] Rom. xiii. 1. [2] St. John Chrysost. Hom. 23 in Ep. ad. Romanos.

thing possible to keep peace and concord; but at the same time to defend the truth and the faith with a constancy that fears not death, for the Lord is able to save those who trust in him."[1] This same rule of conduct do we recommend to you, beloved brethren, who have been so often made the victims of persecution more brutal than those inflicted on the people of St. Ambrose. Avoid all secret societies, all illegal combinations, so severely condemned by the Church. Such associations afford, indeed, a fitting shelter to infidels and revolutionists wherein to hide from the light of day their foul conspiracies against religion and society; but they have never yet formed a true champion of justice or of liberty. Their efforts have ever been cursed with sterility. The sole result secret organizations have anywhere achieved has been the uprooting of the Faith, the degradation of the national spirit, and the establishment of a tyranny, dark, treacherous, and irresponsible, that presses on their unhappy members with a weight and a cruelty compared with which the evils they were ostensibly created to remove, might be accounted liberty itself. In them is specially verified the words of Holy Scripture: *Justice exalteth a nation, but sin maketh a nation miserable.*[2] The history of our own beloved land is a proof that to no other form of resistance to wrong, save that which walks openly and honestly as in the day, belongs the inheritance of success. The providence of God does not allow injustice to become eternal on earth, but those only who have the Christian courage of being just in their struggle against injustice, shall, in the end, find their efforts crowned with a complete triumph. Such was the triumph that rewarded the peaceful resistance of St. Ambrose's Catholic people, and which the Saint thus celebrates:[3] "O Holy Spirit of God, how profound are Thy oracles! It was but this

1 Epist. xx. 14. 2 Proverbs xiv. 34. 3 St. Ambrose Ep. xx. n. 20.

morning, my brethren, that in sore affliction we recited together the words of the Psalm: *O God, the Gentiles have come into Thine inheritance!* It was but this morning that we raised our voices in sorrow, all unmindful of Thy power; and behold! already Thy enemies are become Thy friends, and those whose assaults filled us with fear, have taken their place among the children of Thy inheritance. Those whom I accounted my enemies, are now in my defence; my sons, those whom I looked on as my adversaries. O my God! who but Thee, Lord Jesus, has wrought these wonders! Therefore, to Thee, O Christ, be thanksgiving; for it was no angel, but Thou Thyself, O Lord; *Thou hast turned for me my mourning into joy: Thou hast cut my sack-cloth, and hast compassed me with gladness.*"[2]

This union of unflinching courage and Christian moderation, without which no one can worthily defend the cause of Justice, has never, perhaps, been more brilliantly conspicuous than in the life of our Holy Father Pope Pius IX. That life is bright with the glory which the dogmatic definition of the Immaculate Conception, the canonization of so many saints, and the celebration of the Vatican Council, have caused to shine upon the Church; and it is clouded with the afflictions which have come upon her at the sight of her usurped and desecrated sanctuaries, her dispersed religious, her imprisoned clergy, and the murder done upon the souls of her little ones by an education framed but to corrupt. And as it is the expression of the Church's glory and of the Church's sorrow, so also does it represent with singular fidelity, the Church's courage in defending the rights of her Heavenly Spouse. In the face of a renegade world, our Holy Father fearlessly asserts her divine prerogatives; threats he meets with counsel; acts

[2] Psalm xxix. 12.

of violence with patience; and usurpation with calm and persevering protest. While we imitate the example of firmness and patience he sets us, let us join him, dearly beloved, in his protests against the wrongs inflicted on the Church. Once again, therefore, we protest in the name of this Catholic nation against the usurpation of the States of the Church, by which the temporal Sovereignty of the Holy See was wrested from it, to the detriment of the Church's liberty and to the loss of the Catholic World. We protest against the violence which has compelled the Head of the Church to remain shut up in his palace for so many years, as a mark for the insults and the threats of his enemies. We protest against the expulsion of the religious communities, the confiscation of their property, and the seizure of so many churches, colleges, and hospitals. We protest especially against the infamous law by which, for the first time in the annals of Christian nations, ecclesiastics, ministers of the God of Peace, may be dragged from the sanctuary and condemned to serve as soldiers. And we resolve by our increased obedience and love to make some amends to the outraged majesty of the Holy Apostolic See!

In conclusion, dearly beloved brethren, we implore of you with the apostle: *Let your conversation be worthy of the Gospel of Christ: that you stand fast in one spirit, with one mind, labouring together for the faith of the Gospel, and in nothing be ye terrified by the adversaries; which to them is a cause of perdition, but to you of salvation, and this from God. For unto you it is given for Christ, not only to believe in Him, but also to suffer for Him. If there be, therefore, any consolation in Christ, if any comfort of charity, if any society of the spirit, if any bowels of commiseration; fulfil ye our joy, that you be of one mind, having the same charity, being of one accord, agreeing in*

sentiment . . . . with fear and trembling work out your salvation; that you may be blameless and sincere children of God, without reproof in the midst of a crooked and perverse generation: among whom you shine as lights in the world.[1]

20th September, 1875.

[1] Philipp. i. 27. 29; ii. 1—15.

✠ Paul Card. Cullen,
Archbishop of Dublin, Primate of Ireland, Delegate Apostolic.

✠ Daniel M'Gettigan,
Archbishop of Armagh, Primate of All Ireland.

✠ John M'Hale,
Archbishop of Tuam.

✠ T. W. Croke,
Archbishop of Cashel, &c.

✠ William Delany,
Bishop of Cork.

✠ Francis Kelly,
Bishop of Derry.

✠ J. P. Leahy,
Bishop of Dromore.

✠ David Moriarty,
Bishop of Kerry.

✠ Thomas Furlong,
Bishop of Ferns.

✠ Laurence Gillooly,
Bishop of Elphin.

✠ Michael O'Hea,
Bishop of Ross.

✠ John MacEvilly,
Bishop of Galway.

✠ George Butler,
Bishop of Limerick.

✠ Patrick Dorrian,
Bishop of Down and Connor.

✠ Thomas Nulty,
Bishop of Meath.

✠ Nicholas Conaty,
Bishop of Kilmore.

✠ George Conroy,
Bishop of Ardagh and Clonmacnoise.

✠ James Donnelly,
Bishop of Clogher.

✠ Patrick Duggan,
Bishop of Clonfert.

✠ James M'Devitt,
Bishop of Raphoe.

✠ F. J. M'Cormack,
Bishop of Achonry.

✠ Hugh Conway,
Bishop of Killala.

✠ Patrick F. Moran,
Bishop of Ossory.

✠ John Power,
Bishop of Waterford & Lismore.

✠ John M'Carthy,
Bishop of Cloyne.

✠ James Lynch,
Bishop of Arcadiopolis, Procurator of the Bishop of Kildare and Leighlin.

✠ James Ryan,
Bishop of Echinus, Procurator of the Bishop of Killaloe.

F. Bruno,
Ord. Cist. Abbot of Mount Melleray.

P.S.—Writing from this College, we should be ungrateful to an institution which has deserved well of successive generations of the Clergy and people of Ireland, were we to overlook an important and pious work which has just been undertaken by its Trustees—the erection of a Church adapted to its requirements, and worthy of the National College of the Irish Clergy. The plan for this College Church has been completed ; the contract for its execution has been entered into; and Sunday, 10th October, the Feast of the Dedication of the Churches of Ireland, has, with much appropriateness, been fixed for laying the foundations. The work will, of necessity, be very costly, but it is one in which every Irish Catholic has an interest almost directly personal. We earnestly commend it to your pious generosity. We have authorized the President to communicate with the Clergy of our several dioceses with the view of organizing, in concert with each, and according to his convenience, parochial collections, in aid of the Building Fund. The time in each parish may be regulated by local circumstances; but March 17th, 1876, the Feast of St. Patrick, the Patron of the College and of the Church, is proposed as the most fitting occasion for the General Collection.

APPENDIX.

APPENDIX.

APPENDIX I.

[*Ad. pag.* 10.]

EPISTOLA S. CONG. DE PROPAGANDA FIDE DE LINGUA LATINA ADHIBENDA IN LITTERIS AD SEDEM APOSTOLICAM MITTENDIS.

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Fuit in more positum saeculis anteactis, ut qui cum Apostolica Sede communicare deberent ad negotia ecclesiastica (exceptis illis quae ad ritūs orientales pertinebant) pertractanda, vel ad gratias postulandas, ii latina lingua aut saltem italica uterentur. Nec sane ejusmodi mos gravibus destituebatur rationum momentis, cum inter caetera exigi nullatenus posset ut in tanta linguarum varietate administri aut officiales Sanctae Sedis, quae ab omnibus terrarum orbis nationibus literas aut petitiones excipit, omnium linguas legerent atque intelligerent. At vero nonnullis abhinc annis usus invaluit ut ad Sacram hanc Congregationem Fidei Propagandae, passim scripta non solum gallica lingua (quod difficultatem vix ullam facessit) sed anglica, germanica, hollandica aliisque exarata linguis transmittantur; ex quo non raro contingit ut negotiorum sacrorum expeditio non parum dilationis patiatur. Quae cum ita sint, sane non possum quin Ill. Dominationi Tuae commendem etiam atque etiam, ut nedum laicis, sed praesertim ecclesiasticis viris tibi subjectis inculcare ne praetermittas, ut quoties ad Sacrum hoc consilium literas, petitiones aut etiam acta ad causas eccle-

siasticas pertinentia mittere voluerint, latinum vel italicum idioma, quantum fieri poterit, adhibendum curent. Et quoniam latinam linguam commemoravi, abs re non erit animadvertere ex illius linguae neglectu gravissima per orbem Ecclesiis detrimenta obvenire. Neque enim tantum exinde difficilior evadit cum Ecclesia Romana atque aliis cum Ecclesiis variarum regionum communicatio, non solum amittitur maximum illud quo praeterritis temporibus catholici itinerantes guadebant emolumentum, inveniendi scilicet, ubique locorum, Christi fideles quasi fratres communi patriae romanae lingua loquentes, verum etiam extranei christiano populo sensim sine sensu evadent ac fere impervii omnes tum sacrae tum profanae scientiae fontes, qui graecam praesertim linguam ignorantes nonnisi per latinum idioma patere possunt. Quamobrem erit solicitudinis tuae operam impendere, ut studium latinae linguae in tua dioecesi promoveatur, cujus rei suscipiendae, opportunam Tibi occasionem praebere poterit, quod praesentibus literis Ill. Dominationi tuae censui commendandum.

Precor Deum ut Te diu sospitem servet incolumemque.

Datum Romae ex Aedibus S. C. de Prop. Fide die 29 Septembris, 1868.

Ill. ac Revmae Dominationis Tuae
Ad officia paratissimus

AL. CARD. BARNABÒ, *Pr.*
JOANNES SIMEONI, *Secretarius.*

APPENDIX II.

[*Ad. pag.* 62, *n.* 6.]

DECRETA SS. ŒCUMENICI CONCILII VATICANI.

I.

CONSTITUTIO DOGMATICA DE FIDE CATHOLICA,

Edita in Sessione tertia SS. Œcumenici Concilii Vaticani.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI SACRO APPROBANTE CONCILIO AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Dei Filius et generis humani Redemptor Dominus Noster Jesus Christus, ad Patrem coelestem rediturus, cum ecclesia sua in terris militante, omnibus diebus usque ad consummationem saeculi futurum se esse promisit. Quare dilectae sponsae praesto esse, adsistere docenti, operanti benedicere, periclitanti opem ferre nullo unquam tempore destitit. Haec vero salutaris ejus providentia, cum ex aliis beneficiis innumeris continenter apparuit, tum iis manifestissime comperta est fructibus, qui orbi christiano e Conciliis oecumenicis ac nominatim e Tridentino, iniquis

licet temporibus celebrato, amplissimi provenerunt. Hinc enim sanctissima religionis dogmata pressius definita uberiusque exposita, errores damnati atque cohibiti; hinc ecclesiastica disciplina restituta firmiusque sancita, promotum in Clero scientiae et pietatis studium, parata adolescentibus ad sacram militiam educandis collegia, christiani denique populi mores et accuratiore fidelium eruditione et frequentiore sacramentorum usu instaurati. Hinc praeterea arctior membrorum cum visibili Capite communio, universoque corpori Christi mystico additus vigor; hinc religiosae multiplicatae familiae, aliaque christianae pietatis instituta; hinc ille etiam assiduus et usque ad sanguinis effusionem constans ardor in Christi regno late per orbem propagando.

Verumtamen haec aliaque insignia emolumenta, quae per ultimam maxime oecumenicam Synodum divina clementia Ecclesiae largita est, dum grato, quo par est, animo recolimus; acerbum compescere haud possumus dolorem ob mala gravissima, inde potissimum orta, quod ejusdem sacrosanctae Synodi apud permultos vel auctoritas contempta, vel sapientissima neglecta fuere decreta.

Nemo enim ignorat, haereses, quas Tridentini patres proscripserunt, dum, rejecto divino ecclesiae magisterio, res ad religionem spectantes privati cujusvis judicio permitterentur, in sectas paullatim dissolutas esse multiplices, quibus inter se dissentientibus et concertantibus, omnis tandem in Christum fides apud non paucos labefactata est. Itaque ipsa sacra Biblia, quae antea christianae doctrinae unicus fons et judex asserebantur, jam non pro divinis haberi, imo mythicis commentis accenseri coeperunt.

Tum nata est et late nimis per orbem vagata illa rationalismi seu naturalismi doctrina, quae religioni christianae utpote supernaturali instituto per omnia adversans, summo studio molitur, ut Christo, qui solus Dominus et Salvator

noster est, a mentibus humanis, a vita et moribus populorum excluso, merae quod vocant rationis vel naturae regnum stabiliatur. Relicta autem projectaque christiana religione, negato vero Deo et Christo ejus, prolapsa tandem est multorum mens in pantheismi, materialismi, atheismi barathrum, ut jam ipsam rationalem naturam, omnemque justi rectique normam negantes, ima humanae societatis fundamenta diruere connitantur.

Hac porro impietate circumquaque grassante, infeliciter contigit, ut plures etiam e catholicae Ecclesiae filiis a via verae pietatis aberrarent, in iisque diminutis paullatim veritatibus, sensus catholicus attenuaretur. Variis enim ac peregrinis doctrinis abducti, naturam et gratiam, scientiam humanam et fidem divinam perperam commiscentes, genuinum sensum dogmatum, quem tenet ac docet Sancta Mater Ecclesia, depravare, integritatemque et sinceritatem fidei in periculum adducere comperiuntur.

Quibus omnibus perspectis, fieri qui potest, ut non commoveantur intima Ecclesiae viscera? Quemadmodum enim Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire; quemadmodum Christus venit, ut salvum faceret quod perierat, et filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum: ita Ecclesia, a Deo populorum mater et magistra constituta, omnibus debitricem se novit, ac lapsos erigere, labantes sustinere, revertentes amplecti, confirmare bonos et ad meliora provehere parata semper et intenta est. Quapropter nullo tempore a Dei veritate, quae sanat omnia, testanda et praedicanda quiescere potest, sibi dictum esse non ignorans: Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo amodo et usque in sempiternum.[1]

Nos itaque, inhaerentes Praedecessorum Nostrorum vestigiis, pro supremo nostro Apostolico munere veritatem

[1] Is. lix. 21.

catholicam docere ac tueri, perversasque doctrinas reprobare nunquam intermisimus. Nunc autem sedentibus Nobiscum et judicantibus universi orbis Episcopis, in hanc oecumenicam Synodum auctoritate Nostra in Spiritu Sancto congregatis, innixi Dei verbo scripto et tradito, prout ab Ecclesia catholica sancte custoditum et genuine expositum accepimus; ex hac Petri Cathedra in conspectu omnium salutarem Christi doctrinam profiteri et declarare constituimus, adversis erroribus potestate nobis a Deo tradita proscriptis atque damnatis.

CAPUT I.

DE DEO RERUM OMNIUM CREATORE.

Sancta Catholica Apostolica Romana Ecclesia credit et confitetur, unum esse Deum verum et vivum, Creatorem ac Dominum coeli et terrae, omnipotentem, aeternum, immensum, incomprehensibilem, intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitum; qui cum sit una singularis, simplex omnino et incommutabilis substantia spiritualis, praedicandus est re et essentia a mundo distinctus, in se et ex se beatissimus, et super omnia quae praeter ipsum sunt et concipi possunt, ineffabiliter excelsus.

Hic solus verus Deus bonitate sua et omnipotenti virtute non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona, quae creaturis impertitur, liberrimo consilio simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam.[1]

Universa vero, quae condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a fine usque ad finem for-

[1] Conc. Later. iv. c. 1. *Firmiter*.

titer, et disponens omnia suaviter.[1] Omnia enim nuda et aperta sunt oculis ejus,[2] ea etiam, quae libera creaturarum actione futura sunt.

CAPUT II.

DE REVELATIONE.

Eadem Sancta Mater Ecclesia tenet et docet, Deum rerum omnium principium et finem, naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse; invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur:[3] attamen placuisse ejus sapientiae et bonitati, alia, eaque supernaturali via se ipsum ac aeterna voluntatis suae decreta humano generi revelare, dicente Apostolo: Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: novissime, diebus istis locutus est nobis in Filio.[4]

Huic divinae revelationi tribuendum quidem est, ut ea, quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint. Non hac tamen de causa revelatio absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda scilicet bona divina, quae humanae mentis intelligentiam omnino superant; siquidem oculus non vidit, nec auris audivit nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum.[5]

Haec porro supernaturalis revelatio, secundum universalis Ecclesiae fidem, a sancta Tridentina Synodo declaratam, continetur in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab

[1] Sap. viii. 1. [2] Cf. Hebr. iv. 13. [3] Rom. i. 20. [4] Hebr. i. 1, 2. [5] Cor. ii. 9.

ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt.[1] Qui quidem veteris et novi Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in ejusdem Concilii decreto recensentur, et in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt. Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat quod revelationem sine errore contineant; sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt.

Quoniam vero, quae sancta Tridentina Synodus de interpretatione divinae Scripturae ad coercenda petulantia ingenia salubriter decrevit, a quibusdam hominibus prave exponuntur, Nos, idem decretum renovantes, hanc illius mentem esse declaramus, ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium, is pro vero sensu sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari.

CAPUT III.

DE FIDE.

Quum homo a Deo tanquam Creatore et Domino suo totus dependeat, et ratio creata increatae Veritati penitus subjecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur. Hanc vero fidem, quae humanae salutis initium est, Ecclesia catholica profitetur,

[1] Conc. Trid. sess. IV. Decr. de Can. Script.

virtutem esse supernaturalem, qua, Dei aspirante et adjuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest. Est enim fides, testante Apostolo, sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.[1]

Ut nihilominus fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa jungi revelationis suae argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias, quae cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accommodata. Quare tum Moyses et Prophetae, tum ipse maxime Christus Dominus multa et manifestissima miracula et prophetias ediderunt; et de Apostolis legimus: Illi autem profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis.[2] Et rursum scriptum est: Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernae lucenti in caliginoso loco.[3]

Licet autem fidei assensus nequaquam sit motus animi caecus: nemo tamen evangelicae praedicationi consentire potest, sicut oportet ad salutem consequendam, absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati.[4] Quare fides ipsa in se, etiamsi per charitatem non operetur donum Dei est, et actus ejus est opus ad salutem pertinens, quo homo liberam praestat ipsi Deo obedientiam, gratiae ejus, cui resistere posset, consentiendo et cooperando.

Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab

[1] Hebr. xi. 1. [2] Mar. xvi. 20. [3] 2 Petr. i. 19. [4] Syn. Araus. ii. can. 7.

Ecclesia sive solemni judicio sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur.

Quoniam vero sine fide impossibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire; ideo nemini unquam sine illa contigit justificatio, nec ullus, nisi in ea perseveraverit usque in finem, vitam aeternam assequetur. Ut autem officio veram fidem amplectendi, in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, Deus per filium suum unigenitum Ecclesiam instituit, suaeque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tamquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci. Ad solam enim catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita. Quin etiam Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile.

Quo fit, ut ipsa veluti signum levatum in nationes,[1] et ad se invitet qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciat, firmissimo niti fundamento fidem, quam profitentur. Cui quidem testimonio efficax subsidium accedit ex superna virtute. Etenim benignissimus Dominus et errantes gratia sua excitat atque adjuvat, ut ad agnitionem veritatis venire possint; et eos, quos de tenebris transtulit in admirabile lumen suum, in hoc eodem lumine ut perseverent, gratia sua confirmat, non deserens, nisi deseratur. Quocirca minime par est conditio eorum, qui per coeleste fidei donum catholicae veritati adhaeserunt, atque eorum, qui ducti opinionibus humanis falsam religionem sectantur; illi enim, qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperunt, nul-

[1] Is. xi. 12.

lam unquam habere possunt justam causam mutandi, aut in dubium fidem eamdem revocandi. Quae cum ita sint, gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, tantam ne negligamus salutem, sed aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem.

CAPUT IV.

DE FIDE ET RATIONE.

Hoc quoque perpetuus Ecclesiae catholicae consensus tenuit et tenet, duplicem esse ordinem cognitionis, non solum principio, sed objecto etiam distinctum: principio quidem, quia in altero naturali ratione, in altero fide divina cognoscimus; objecto autem, quia praeter ea, ad quae naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quae, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt. Quocirca Apostolus, qui a gentibus Deum per ea, quae facta sunt, cognitum esse testatur, disserens tamen de gratia et veritate, quae per Jesum Christum facta est,[1] pronuntiat: Loquimur Dei Sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram, quam nemo principum hujus saeculi cognovit: nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.[2] Et ipse Unigenitus confitetur Patri, quia abscondit haec a sapientibus, et prudentibus, et revelavit ea parvulis.[3]

Ac ratio quidem, fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quaerit, aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum, quae naturaliter cognoscit, analogia, tum e mysteriorum ipsorum

[1] Joan. i. 17. [2] 1 Cor. ii. 7-10. [3] Matth. xi. 25.

nexu inter se et cum fine hominis ultimo; nunquam tamen idonea redditur ad ea perspicienda instar veritatum, quae proprium ipsius objectum constituunt. Divina enim mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino: per fidem enim ambulamus, et non per speciem.[1]

Verum etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest: cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit; Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere. Inanis autem hujus contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiae intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur. Omnem igitur assertionem veritati illuminatae fidei contrariam omnino falsam esse definimus.[2] Porro Ecclesia, quae una cum apostolico munere docendi, mandatum accepit fidei depositum custodiendi, jus etiam et officium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi, ne quis decipiatur per philosophiam, et inanem fallaciam.[3] Quapropter omnes christiani fideles hujusmodi opiniones, quae fidei doctrinae contrariae esse cognoscuntur, maxime si ab Ecclesia reprobatae fuerint, non solum prohibentur tanquam legitimas scientiae conclusiones defendere, sed pro erroribus potius, qui fallacem veritatis speciem prae se ferant, habere tenentur omnino.

Neque solum fides et ratio inter se dissidere nunquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, cum recta

[1] 2 Cor. v. 7. [2] Conc. Lat. V. Bulla *Apostolici regiminis*.
[3] Coloss. ii. 8.

ratio fidei fundamenta demonstret, ejusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat; fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur, eamque multiplici cognitione instruat. Quapropter tantum abest, ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturae obsistat, ut hanc multis modis juvet atque promoveat. Non enim commoda ab iis ad hominum vitam dimanantia aut ignorat aut despicit; fatetur imo, eas, quemadmodum a Deo, scientiarum Domino profectae sunt, ita si rite pertractentur, ad Deum, juvante ejus gratia, perducere. Nec sane ipsa vetat, ne hujusmodi disciplinae in suo quaeque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo; sed justam hanc libertatem agnoscens, id sedulo cavet ne divinae doctrinae repugnando errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressae, ea quae sunt fidei, occupent et perturbent.

Neque enim fidei doctrina quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tanquam divinum depositum Christi Sponsae tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda. Hinc sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit Sancta Mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu, altioris intelligentiae specie et nomine, recedendum. Crescat igitur et multum vehementerque proficiat, tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia: sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia.[1]

[1] Vinc. Lir. Common. n. 28.

CANONES.

I.—DE DEO RERUM OMNIUM CREATORE.

1. Si quis unum verum Deum visibilium et invisibilium Creatorem et Dominum negaverit; anathema sit.

2. Si quis praeter materiam nihil esse affirmare non erubuerit; anathema sit.

3. Si quis dixerit, unam eamdemque esse Dei et rerum omnium substantiam vel essentiam; anathema sit.

4. Si quis dixerit, res finitas, tum corporeas tum spirituales, aut saltem spirituales, e divina substantia emanasse;

aut divinam essentiam sui manifestatione vel evolutione fieri omnia;

aut denique Deum esse ens universale seu indefinitum, quod sese determinando constituat rerum universitatem in genera, species et individua distinctam; anathema sit.

5. Si quis non confiteatur, mundum, resque omnes quae in eo continentur, et spirituales et materiales, secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas;

aut Deum dixerit non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, quam necessario amat seipsum;

aut mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit; anathema sit.

II.—DE REVELATIONE.

1. Si quis dixerit, Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea, quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci non posse; anathema sit.

2. Si quis dixerit, fieri non posse, aut non expedire, ut per revelationem divinam homo de Deo, cultuque ei exhibendo edoceatur; anathema sit.

3. Si quis dixerit, hominem ad cognitionem et perfectionem, quae naturalem superet, divinitus evehi non posse, sed ex seipso ad omnis tandem veri et boni possessionem jugi profectu pertingere posse et debere; anathema sit.

4. Si quis sacrae Scripturae libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos sancta Tridentina Synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos divinitus inspiratos esse negaverit; anathema sit.

III.—DE FIDE.

1. Si quis dixerit, rationem humanam ita independentem esse, ut fides ei a Deo imperari non possit; anathema sit.

2. Si quis dixerit, fidem divinam a naturali de Deo et rebus moralibus scientia non distingui, ac propterea ad fidem divinam non requiri, ut revelata veritas propter auctoritatem Dei revelantis credatur; anathema sit.

3. Si quis dixerit, revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cujusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere; anathema sit.

4. Si quis dixerit, miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes, etiam in sacra Scriptura contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse; aut miracula certo cognosci nunquam posse, nec iis divinam religionis christianae originem rite probari; anathema sit.

5. Si quis dixerit, assensum fidei christianae non esse liberum, sed argumentis humanae rationis necessario produci; aut ad solam fidem vivam, quae per charitatem operatur, gratiam Dei necessariam esse; anathema sit.

6. Si quis dixerit, parem esse conditionem fidelium atque eorum, qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut catholici justam causam habere possint, fidem, quam sub Ecclesiae magisterio jam susceperunt, assensu suspenso in dubium vocandi, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suae absolverint; anathema sit.

IV.—DE FIDE ET RATIONE.

1. Si quis dixerit, in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari; anathema sit.

2. Si quis dixerit, disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinae revelatae adversentur, tanquam verae retineri, neque ab Ecclesia proscribi possint; anathema sit.

3. Si quis dixerit, fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis, aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia; anathema sit.

Itaque supremi pastoralis Nostri officii debitum exequentes, omnes Christi fideles, maxime vero eos, qui praesunt vel docendi munere funguntur, per viscera Jesu Christi obtestamur, nec non ejusdem Dei et Salvatoris nostri auctoritate jubemus, ut ad hos errores a Sancta Ecclesia arcendos et eliminandos, atque purissimae fidei lucem pandendam studium et operam conferant.

Quoniam vero satis non est, haereticam pravitatem devitare, nisi ii quoque errores diligenter fugiantur, qui ad illam plus minusve accedunt; omnes officii monemus, servandi etiam Constitutiones et Decreta, quibus pravae ejusmodi opiniones, quae isthic diserte non enumerantur, ab hac Sancta Sede proscriptae et prohibitae sunt.

Datum Romae in publica sessione in Basilica Vaticana solemniter celebrata anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septuagesimo, die vigesima quarta Aprilis.

Pontificatus nostri anno vigesimo quarto.

Ita est.

JOSEPHUS EP. S. HIPPOLYTI,
Secretarius Concilii Vaticani.

II.

CONSTITUTIO DOGMATICA PRIMA DE ECCLESIA CHRISTI,

Edita in Sessione quarta SS. Concilii oecumenici Vaticani.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI SACRO APPROBANTE CONCILIO AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Pastor aeternus et episcopus animarum nostrarum, ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam aedificare Ecclesiam decrevit, in qua veluti in domo Dei viventis fideles omnes unius fidei et charitatis vinculo continerentur. Quapropter, priusquam clarificaretur, rogavit Patrem non pro Apostolis tantum, sed et pro eis, qui credituri erant per verbum eorum in ipsum, ut omnes unum essent, sicut ipse Filius et Pater unum sunt. Quemadmodum igitur Apostolos, quos sibi de mundo elegerat, misit, sicut ipse missus erat a Patre: ita in Ecclesia sua Pastores et Doctores usque ad consummationem saeculi esse voluit. Ut vero episcopatus ipse unus et indivisus

esset, et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur, beatum Petrum caeteris Apostolis praeponens in ipso instituit perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum, super cujus fortitudinem aeternum extrueretur templum, et Ecclesiae coelo inferenda sublimitas in hujus fidei firmitate consurgeret.[1] Et quoniam portae inferi ad evertendam, si fieri posset, Ecclesiam contra ejus fundamentum divinitus positum majori in dies odio undique insurgunt; Nos ad catholici gregis custodiam, incolumitatem, augmentum, necessarium esse judicamus, sacro approbante Concilio, doctrinam de institutione, perpetuitate, ac natura sacri Apostolici primatus, in quo totius Ecclesiae vis ac soliditas consistit, cunctis fidelibus credendam et tenendam, secundum antiquam atque constantem universalis Ecclesiae fidem proponere, atque contrarios dominico gregi adeo perniciosos errores proscribere et condemnare.

CAPUT I.

DE APOSTOLICI PRIMATUS IN BEATO PETRO INSTITUTIONE.

Docemus itaque et declaramus, juxta Evangelii testimonia primatum jurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe beato Petro Apostolo promissum atque collatum a Christo Domino fuisse. Unum enim Simonem, cui jam pridem dixerat: Tu vocaberis Cephas,[2] postquam ille suam edidit confessionem inquiens: Tu es Christus, Filius Dei vivi, solemnibus his verbis allocutus est Dominus: Beatus es Simon Bar-Jona: quia caro, et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est: et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non

[1] S. Leo, M. serm. iv. (al. iii.), cap. 2, in diem Natalis sui. [2] Joan. i. 42

praevalebunt adversus eam: et tibi dabo claves regni coelorum: et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis.[1] Atque uni Simoni Petro contulit Jesus post suam resurrectionem summi pastoris et rectoris jurisdictionem in totum suum ovile, dicens: Pasce agnos meos: Pasce oves meas.[2] Huic tam manifestae sacrarum Scripturarum doctrinae, ut ab Ecclesia catholica semper intellecta est, aperte opponuntur pravae eorum sententiae, qui constitutam a Christo Domino in sua Ecclesia regiminis formam pervertentes negant, solum Petrum prae caeteris Apostolis, sive seorsum singulis sive omnibus simul vero proprioque jurisdictionis primatu fuisse a Christo instructum; aut qui affirmant, eundem primatum non immediate, directeque ipsi beato Petro, sed Ecclesiae, et per hanc illi ut ipsius Ecclesiae ministro delatum fuisse.

Si quis igitur dixerit, beatum Petrum Apostolum non esse a Christo Domino constitutum Apostolorum omnium principem et totius Ecclesiae militantis visibile caput; vel eundem honoris tantum, non autem verae propriaeque jurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Jesu Christo directe et immediate accepisse; anathema sit.

CAPUT II.

DE PERPETUITATE PRIMATUS BEATI PETRI IN ROMANIS PONTIFICIBUS.

Quod antem in beato Apostolo Petro princeps pastorum et pastor magnus ovium Dominus Christus Jesus in perpetuam salutem ac perrenne bonum Ecclesiae instituit, id eodem auctore in Ecclesia, quae fundata super petram ad finem saeculorum usque firma stabit, jugiter durare necesse est. Nulli sane dubium, imo saeculis omnibus notum est,

[1] Matth. xvi. 16-19. [2] Joan. xxi. 15-17.

quod sanctus beatissimusque Petrus, Apostolorum princeps et caput, fideique columna et Ecclesiae catholicae fundamentum, a Domino nostro Jesu Christo, Salvatore humani generis ac Redemptore, claves regni accepit: qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus, episcopis sanctae Romanae Sedis, ab ipso fundatae, ejusque consecratae sanguine, vivit et praesidet et judicium exercet.[1] Unde quicumque in hac Cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet. Manet ergo dispositio veritatis, et beatus Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit.[2] Hac de causa ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse semper fuit omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, ut in ea Sede, e qua venerandae communionis jura in omnes dimanant, tamquam membra in capite consociata, in unam corporis compagem coalescerent.[3]

Si quis ergo dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione seu jure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Romanum Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem; anathema sit.

CAPUT III.

DE VI ET RATIONE PRIMATUS ROMANI PONTIFICIS.

Quapropter apertis innixi sacrarum litterarum testimoniis, et inhaerentes tum Praedecessorum Nostrorum, Romanorum Pontificum, tum Conciliorum generalium disertis, perspicuisque decretis, innovamus oecumenici Concilii Florentini

[1] Cf. Ephesini Concilii Act. iii. [2] S. Leo. M. Serm. iii. (al. ii.) cap 3.
[3] S. Iren. Adv. hær. l. iii. c. 3. et Conc. Aquilei. a. 381. inter epp. S. Ambros. ep. xi.

definitionem, qua credendum ab omnibus Christi fidelibus est, sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur.

Docemus proinde et declaramus, Ecclesiam Romanam disponente Domino super omnes alias ordinariae potestatis obtinere principatum, et hanc Romani Pontificis jurisdictionis potestatem, quae vere episcopalis est, immediatam esse: erga quam cujuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli quam simul omnes, officio hierarchicae subordinationis, veraeque obedientiae obstringuntur, non solum in rebus quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; ita ut custodita cum Romano Pontifice tam communionis, quam ejusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo pastore. Haec est catholicae veritatis doctrina, a qua deviare salva fide atque salute nemo potest.

Tantum autem abest, ut haec Summi Pontificis potestas officiat ordinariae ac immediatae illi episcopalis jurisdictionis potestati, qua Episcopi, qui positi a Spiritu Sancto in Apostolorum locum successerunt, tamquam veri pastores assignatos sibi greges, singuli singulos, pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali Pastore asseratur, roboretur ac vindicetur, secundum illud sancti Gregorii Magni: Meus honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor

est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur.[1]

Porro ex suprema illa Romani Pontificis potestate gubernandi universam Ecclesiam jus eidem esse consequitur, in hujus sui muneris exercitio libere communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiae, ut iidem ab ipso in via salutis doceri ac regi possint. Quare damnamus ac reprobamus illorum sententias, qui hanc supremi capitis cum Pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, aut eandem reddunt saeculari potestati obnoxiam, ita ut contendant, quae ab Apostolica Sede vel ejus auctoritate ad regimen Ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis saecularis placito confirmentur.

Et quoniam divino Apostolici primatus jure Romanus Pontifex universae Ecclesiae praeest, docemus etiam et declaramus, eum esse judicem supremum fidelium,[2] et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse judicium recurri;[3] Sedis vero Apostolicae, cujus auctoritate major non est, judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus licere judicare judicio.[4] Quare a recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant, licere ab judiciis Romanorum Pontificum ad oecumenicum Concilium tamquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare.

Si quis itaque dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen

[1] Ep. ad Eulog. Alexandrin. l. viii. ep. xxx.
[2] Pii PP. VI. Breve, Super soliditate, d. 28 Nov. 1786.
[3] Concil. Œcum. Lugdun. II. [4] Ep. Nicolai I. ad Michaelem Imperatorem.

Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem hujus supremae potestatis; aut hanc ejus potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles; anathema sit.

CAPUT IV.

DE ROMANI PONTIFICIS INFALLIBILI MAGISTERIO.

Ipso autem Apostolico primatu, quem Romanus Pontifex tamquam Petri principis Apostolorum successor in universam Ecclesiam obtinet, supremam quoque magisterii potestatem comprehendi, haec Sancta Sedes semper tenuit, perpetuus Ecclesiae usus comprobat, ipsaque oecumenica Concilia, ea imprimis, in quibus Oriens cum Occidente in fidei charitatisque unionem conveniebat, declaraverunt. Patres enim Concilii Constantinopolitani quarti, majorum vestigiis inhaerentes, hanc solemnem ediderunt professionem: Prima salus est, rectae fidei regulam custodire. Et quia non potest Domini nostri Jesu Christi praetermitti sententia dicentis: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, haec, quae dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper catholica reservata religio, et sancta celebrata doctrina. Ab hujus ergo fide et doctrina separari minime cupientes, speramus, ut in una communione, quam Sedes Apostolica praedicat, esse mereamur, in qua est integra et vera Christianae religionis soliditas.[1]

Approbante vero Lugdunensi Concilio secundo, Graeci professi sunt: Sanctam Romanam Ecclesiam summum et

[1] Ex formula S. Hormisdae Papae, prout ab Hadriano II. Patribus Concilii Œcumenici viii., Constantinopolitani iv., proposita et ab iisdem subscripta est.

plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinere, quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe sive vertice, cujus Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit; et sicut prae caeteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et, si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent judicio definiri.

Florentinum denique Concilium definivit: Pontificem Romanum, verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse.

Huic pastorali muneri ut satisfacerent, Praedecessores nostri indefessam semper operam dederunt, ut salutaris Christi doctrina apud omnes terrae populos propagaretur, parique cura vigilarunt, ut, ubi recepta esset, sincera et pura conservaretur. Quocirca totius orbis Antistites nunc singuli, nunc in Synodis congregati, longam ecclesiarum consuetudinem et antiquae regulae formam sequentes, ea praesertim pericula, quae in negotiis fidei emergebant, ad hanc Sedem Apostolicam retulerunt, ut ibi potissimum resarcirentur damna fidei, ubi fides non potest sentire defectum.[1] Romani autem Pontifices, prout temporum et rerum conditio suadebat, nunc convocatis oecumenicis Conciliis aut explorata Ecclesiae per orbem dispersae sententia, nunc per Synodos particulares, nunc aliis, quae divina suppeditabat providentia, adhibitis auxiliis, ea tenenda definiverunt, quae sacris Scripturis et apostolicis Traditionibus consentanea Deo adjutore cognoverant. Neque enim Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut eo assist-

[1] Cf. S. Bern. Epist. cxc.

ente traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent. Quorum quidem apostolicam doctrinam omnes venerabiles Patres amplexi et sancti Doctores orthodoxi venerati atque secuti sunt; plenissime scientes, hanc sancti Petri Sedem ab omni semper errore illibatam permanere, secundum Domini Salvatoris nostri divinam pollicitationem discipulorum suorum principi factam: Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.[1]

Hoc igitur veritatis et fidei numquam deficientis charisma Petro ejusque in hac Cathedra successoribus divinitus collatum est ut excelso suo munere in omnium salutem fungerentur, ut universus Christi grex per eos ab erroris venenosa esca aversus, coelestis doctrinae pabulo nutriretur, ut sublata schismatis occasione Ecclesia tota una conservaretur, atque suo fundamento innixa firma adversus inferi portas consisteret.

At vero cum hac ipsa aetate, qua salutifera Apostolici muneris efficacia vel maxime requiritur, non pauci inveniantur, qui illius auctoritati obtrectant; necessarium omnino esse censemus, prerogativam quam unigenitus Dei Filius cum summo pastorali officio conjungere dignatus est, solemniter asserere.

Itaque Nos traditioni a fidei Christianae exordio perceptae fideliter inhaerendo, ad Dei Salvatoris nostri gloriam, religionis Catholicae exaltationem et Christianorum populorum salutem, sacro approbante Concilio, docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus: Romanum Pontificem, cum ex Cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assist-

[1] Luc. xxii. 32.

entiam divinam, ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque ejusmodi Romani pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse.

Si quis autem huic Nostrae definitioni contradicere, quod Deus avertat, praesumpserit; anathema sit.

Datum Romae in publica Sessione in Vaticana Basilica solemniter celebrata anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septuagesimo, die decima octava Julii,

Pontificatus nostri anno vigesimo quinto.

Ita est.

JOSEPHUS EP. S. HIPPOLYTI,
Secretarius Concilii Vaticani.

APPENDIX III.

[*Ad. pag.* 64, *n.* 11.]

SYLLABUS

COMPLECTENS PRAECIPUOS NOSTRAE AETATIS ERRORES, QUI NOTANTUR IN ALLOCUTIONIBUS CONSISTORIALIBUS, IN ENCYCLICIS ALIISQUE APOSTOLICIS LITTERIS SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII PAPAE IX.

§ I.

PANTHEISMUS, NATURALISMUS ET RATIONALISMUS ABSOLUTUS.

1. Nullum supremum, sapientissimum, providentissimumque Numen divinum existit ab hac rerum universitate distinctum, et Deus idem est ac rerum natura, et iccirco immutationibus obnoxius, Deusque reapse fit in homine et mundo, atque omnia Deus sunt et ipsissimam Dei habent substantiam; ac una eademque res est Deus cum mundo, et proinde spiritus cum materia, necessitas cum libertate, verum cum falso, bonum cum malo et justum cum injusto.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

2. Neganda est omnis Dei actio in homines et mundum.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

3. Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est

lex et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

4. Omnes religionis veritates ex nativa humanae rationis vi derivant; hinc ratio est princeps norma qua homo cognitionem omnium cujuscumque generis veritatum assequi possit ac debeat.

Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 Novembris 1846.

Epist. Encycl. *Singulari quidem*, 17 Martii 1856.

Alloc. *Maxima quidem* 9 Junii 1862.

5. Divina revelatio est imperfecta, et iccirco subjecta continuo et indefinito progressui qui humanae rationis progressioni respondeat.

Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 Novembris 1846.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

6. Christi fides humanae refragatur rationi; divinaque revelatio, non solum nihil prodest, verum etiam nocet hominis perfectioni.

Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 Novembris 1846.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

7. Prophetiae et miracula, in sacris Litteris exposita et narrata, sunt poetarum commenta, et Christianae fidei mysteria philosophicarum investigationum summa; et utriusque Testamenti libris mythica continentur inventa; ipseque Jesus Christus est mythica fictio.

Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 Novembris 1846.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

§ II.

RATIONALISMUS MODERATUS.

8. Quum ratio humana ipsi religioni aequiparetur, iccirco theologicae disciplinae perinde ac philosophicae tractandae sunt.

Alloc. *Singulari quadam perfusi*, 9 Decembris 1854.

9. Omnia indiscriminatim dogmata religionis christianae sunt objectum naturalis scientiae seu philosophiae ; et humana ratio historice tantum exculta potest ex suis naturalibus viribus et principiis ad veram de omnibus etiam reconditioribus dogmatibus scientiam pervenire, modo haec dogmata ipsi rationi tamquam objectum proposita fuerint.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas*, 11 Decembris 1862.

Epist. ad eumdem *Tuas libenter*, 21 Decembris 1863.

10. Quum aliud sit philosophus, aliud philosophia, ille jus et officium habet se submittendi auctoritati, quam veram ipse probaverit ; at philosophia neque potest neque debet ulli sese submittere auctoritati.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas*, 11 Decembris, 1862.

Epist. ad eumdem *Tuas libenter*, 21 Decembris 1863.

11. Ecclesia non solum non debet in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debet ipsius philosophiae tolerare errores, eique relinquere ut ipsa se corrigat.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas*, 11 Decembris 1862.

12. Apostolicae Sedis Romanarumque Congregationum decreta liberum scientiae progressum impediunt.

Epist. ad Archiep. Frising, *Tuas libenter*, 21 Decembris 1863.

13. Methodus et principia, quibus antiqui Doctores scholastici theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter*, 21 Decembris 1863.

14. Philosophia tractanda est, nulla supernaturalis revelationis habita ratione.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter*, 21 Decembris 1863.

N.B.—Cum rationalismi systemate cohaerent maximam partem errores Antonii Günther, qui damnantur in Epist. ad Card. Archiep. Coloniensem *Eximiam tuam*, 15 Junii 1847, et in Epist. ad Episc. Wratislaviensem *Dolore haud mediocri*, 30 Aprilis 1860.

§ III.

INDIFFERENTISMUS, LATITUDINARISMUS.

15. Liberum cuique homini est eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit.

Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 Junii 1851.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

16. Homines in cujusvis religionis cultu viam aeternae salutis reperire aeternamque salutem assequi possunt.

Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 Novembris 1846.

Alloc. *Ubi primum*, 17 Decembris 1847.

Epist. Encycl. *Singulari quidem*, 17 Martii 1856.

17. Saltem bene sperandum est de aeterna illorum omnium salute, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur.

Alloc. *Singulari quadam*, 9 Decembris 1854.

Epist. Encycl. *Quanto conficiamur*, 17 Augusti 1863.

18. Protestantismus non aliud est quam diversa verae ejusdem Christianae religionis forma, in qua aeque ac in Ecclesia Catholica Deo placere datum est.

Epist. Encycl. *Noscitis et Nobiscum*, 8 Decembris 1849.

§ IV.

SOCIALISMUS, COMMUNISMUS, SOCIETATES CLANDESTINAE, SOCIETATES BIBLICAE, SOCIETATES CLERICO-LIBERALES.

Ejusmodi pestes saepe gravissimisque verborum formulis reprobantur in Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 Novemb. 1846; in Alloc. *Quibus quantisque*, 20 Aprilis 1849; in Epist. Encycl. *Noscitis et Nobiscum*, 8 Decem. 1849; in Alloc. *Singulari quadam*, 9 Decembris 1854; in Epist. Encycl. *Quanto conficiamur moerore*, 10 Augusti 1863.

§ V.

ERRORES DE ECCLESIA EJUSQUE JURIBUS.

19. Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus juribus sibi a divino suo fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire quae sint Ecclesiae jura ac limites, intra quos eadem jura exercere queat.

Alloc. *Singulari quadam*, 9 Decembris 1854.

Alloc. *Multis gravibusque*, 17 Decembris 1860.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

20. Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis Gubernii venia et assensu.

Alloc. *Meminit unusquisque*, 30 Septembris 1861.

21. Ecclesia non habet potestatem dogmatice definiendi religionem Catholicae Ecclesiae esse unice veram religionem.

Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 Junii 1851.

22. Obligatio, qua Catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coarctatur in iis tantum quae ab infallibili Ecclesiae judicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur.

Epist. ad. Archiep. Frising. *Tuas libenter*, 21 Decembris 1863.

23. Romani Pontifices et Concilia oecumenica a limitibus suae potestatis recesserunt, jura Principum usurparunt, atque etiam in rebus fidei et morum definiendis errarunt.

Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 Junii 1851.

24. Ecclesia vis inferendae potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 Augusti 1851.

25. Praeter potestatem episcopatui inhaerentem, alia est attributa temporalis potestas a civili imperio vel expresse, vel tacite concessa, revocanda propterea, cum libuerit, a civili imperio.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 Augusti 1851.

26. Ecclesia non habet nativum ac legitimum jus acquirendi ac possidendi.

Alloc. *Nunquam fore*, 15 Decembris 1856.

Epist. Encycl. *Incredibili*, 17 Septembris 1863.

27. Sacri Ecclesiae ministri Romanusque Pontifex ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

28. Episcopis, sine Gubernii venia, fas non est vel ipsas Apostolicas Litteras promulgare.

Alloc. *Nunquam fore*, 15 Decembris, 1856.

29. Gratiae a Romano Pontifice concessae existimari debent tamquam irritae, nisi per Gubernium fuerint imploratae.

Alloc. *Nunquam fore*, 15 Decembris 1856.

30. Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas a jure civili ortum habuit.

Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 Junii 1851.

31. Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis sive civilibus sive criminalibus omnino de medio

tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede.

Alloc. *Acerbissimum*, 27 Septembris 1852.

Alloc. *Nunquam fore*, 15 Decembris 1856.

32. Absque ulla naturalis juris et aequitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundae exercendaeque militiae eximuntur; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta.

Epist. ad Episc. Montisregal. *Singularis Nobisque*, 29 Septembris 1864.

33. Non pertinet unice ad ecclesiasticam jurisdictionis potestatem proprio ac nativo jure dirigere theologicarum rerum doctrinam.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter*, 21 Decembris 1863.

34. Doctrina comparantium Romanum Pontificem Principi libero, et agenti in universa Ecclesia, doctrina est quae medio aevo praevaluit.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 Augusti 1851.

35. Nihil vetat, alicujus Concilii generalis sententia aut universorum populorum facto, summum Pontificatum ab Romano Episcopo atque urbe ad alium Episcopum aliamque civitatem transferri.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 Augusti 1851.

36. Nationalis Concilii definitio nullam aliam admittit disputationem, civilisque administratio rem ad hosce terminos exigere potest.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 Augusti 1851.

37. Institui possunt nationales Ecclesiae ab auctoritate Romani Pontificis subductae planeque divisae.

Alloc. *Multis gravibusque*, 17 Decembris 1860.

Alloc. *Jamdudum cernimus*, 18 Martii 1861.

38. Divisioni Ecclesiae in orientalem atque occidentalem nimia Romanorum Pontificum arbitria contulerunt.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 Augusti 1851.

§ VI.

ERRORES DE SOCIETATE CIVILI TUM IN SE, TUM IN SUIS AD ECCLESIAM RELATIONIBUS SPECTATA.

39. Reipublicae status, utpote omnium jurium origo et fons, jure quodam pollet nullis circumscripto limitibus.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

40. Catholicae Ecclesiae doctrina humanae societatis bono et commodis adversatur.

Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 Novembris, 1846.

Alloc. *Quibus quantisque*, 20 Aprilis 1849.

41. Civili potestati, vel ab infideli imperante exercitae, competit potestas indirecta negativa in sacra; eidem proinde competit nedum jus quod vocant *Exequatur*, sed etiam jus *appellationis*, quam nuncupant, *ab abusu*.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 Augusti 1851.

42. In conflictu legum utriusque potestatis, jus civile praevalet.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 Augusti 1851.

43. Laica potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi ac faciendi irritas solemnes conventiones (vulgo *Concordata*) super usu jurium ad ecclesiasticam immunitatem pertinentium cum Sede Apostolica initas, sine hujus consensu, immo et ea reclamante.

Alloc. *In Concistoriali*, 1 Novembris 1850.

Alloc. *Multis gravibusque*, 17 Decembris 1860.

44. Civilis auctoritas potest se immiscere rebus quae ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest de instructionibus judicare, quas Ecclesiae

pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt, quin etiam potest de divinorum sacramentorum administratione et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernere.

Alloc. *In Concistoriali*, 1 Novembris 1850.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

45. Totum scholarum publicarum regimen, in quibus juventus christianae alicujus Reipublicae instituitur, episcopalibus dumtaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui, ut nullum alii cuicumque auctoritati recognoscatur jus immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum.

Alloc. *In Concistoriali*, 1 Novembris 1850.

Alloc. *Quibus luctuosissimis*, 5 Septembris 1851.

46. Immo in ipsis clericorum seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subjicitur.

Alloc. *Numquam fore*, 15 Decembris 1856.

47. Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholae, quae patent omnibus cujusque e populo classis pueris, ac publica universim Instituta, quae litteris severioribusque disciplinis tradendis et educationi juventutis curandae sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiae auctoritate, moderatrice vi et ingerentia, plenoque civilis ac politicae auctoritatis arbitrio subjiciantur ad imperantium placita et ad communium aetatis opinionum amussim.

Epist. ad Archiep. Friburg. *Quam non sine*, 14 Julii 1864.

48. Catholicis viris probari potest ea juventutis instituendae ratio, quae sit a catholica fide et ab Ecclesiae potestate sejuncta, quaeque rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenae socialis vitae fines tantummodo vel saltem primario spectet.

Epist. ad Archiep. Friburg, *Quam non sine*, 14 Julii 1864.

49. Civilis auctoritas potest impedire quominus sacrorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

50. Laica auctoritas habet per se jus praesentandi Episcopos, et potest ab illis exigere ut ineant dioecesium procurationem antequam ipsi canonicam a S. Sede institutionem et Apostolicas Litteras accipiant.

Alloc. *Nunquam fore*, 15 Decembris 1856.

51. Immo laicum Gubernium habet jus deponendi ab exercitio pastoralis ministerii Episcopos, neque tenetur obedire Romano Pontifici in iis quae episcopatuum et Episcoporum respiciunt institutionem.

Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 Junii 1851.

Alloc. *Acerbissimum* 27 Septembris 1852.

52. Gubernium potest suo jure immutare aetatem ab Ecclesia praescriptam pro religiosa tam mulierum quam virorum professione, omnibusque religiosis familiis indicere ut neminem sine suo permissu ad solemnia vota nuncupanda admittant.

Alloc. *Nunquam fore*, 15 Decembris 1856.

53. Abrogandae sunt leges quae ad religiosarum familiarum statum tutandum, earumque jura et officia pertinent, immo potest civile Gubernium iis omnibus auxilium praestare, qui a suscepto religiosae vitae instituto deficere ac solemnia vota frangere velint; pariterque potest religiosas easdem familias perinde ac collegiatas ecclesias et beneficia simplicia, etiam juris patronatus, penitus extinguere, illorumque bona et reditus civilis potestatis administrationi et arbitrio subjicere et vindicare.

Alloc. *Acerbissimum*, 27 Septembris 1852.

Alloc. *Probe memineritis*, 22 Januarii 1855.

Alloc. *Cum saepe*, 26 Julii 1855.

54. Reges et Principes non solum ab Ecclesiae jurisdictione eximuntur, verum etiam in quaestionibus jurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesiae.

Lit. Apost. *Multiplices inter*, 10 Junii 1851.

55. Ecclesia a Statu, Statusque ab Ecclesia sejungendus est.

Alloc. *Acerbissimum*, 27 Septembris 1852.

§ VII.

ERRORES DE ETHICA NATURALI ET CHRISTIANA.

56. Morum leges divina haud egent sanctione, minimeque opus est ut humanae leges ad naturae jus conformentur, aut obligandi vim a Deo accipant.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

57. Philosophicarum rerum morumque scientia, itemque civiles leges possunt et debent a divina et ecclesiastica auctoritate declinare.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

58. Aliae vires non sunt agnoscendae nisi illae quae in materia positae sunt, et omnis morum disciplina honestasque collocari debet in cumulandis et augendis quovis modo divitiis ac in voluptatibus explendis.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

Epist. Encycl. *Quanto conficiamur*, 10 Augusti 1863.

59. Jus in materiali facto consistit, et omnia hominum officia sunt nomen inane, et omnia humana facta juris vim habent.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

60. Auctoritas nihil aliud est nisi numeri et materialium virium summa.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

61. Fortunata facti injustitia nullum juris sanctitati detrimentum affert.

Alloc. *Jamdudum cernimus*, 18 Martii 1861.

62. Proclamandum est et observandum principium quod vocant *De non interventu*.

Alloc. *Novos et ante*, 28 Septembris 1860.

63. Legitimis Principibus obedientiam detrectare, immo et rebellare licet.

Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 Novembris 1846.

Alloc. *Quisque vestrum*, 4 Octobris 1847.

Epist. Encycl. *Noscitis et Nobiscum*, 8 Decembris 1849.

Litt. Apost. *Cum catholica*, 26 Martii 1860.

64. Tum cujusque sanctissimi juramenti violatio, tum quaelibet scelesta flagitiosaque actio sempiternae legi repugnans, non solum haud est improbanda, verum etiam omnino licita, summisque laudibus efferenda, quando id pro patriae amore agatur.

Alloc. *Quibus quantisque*, 20 Aprilis 1849.

§ VIII.

ERRORES DE MATRIMONIO CHRISTIANO.

65. Nulla ratione ferri potest, Christum evexisse matrimonium ad dignitatem sacramenti.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 Augusti 1851.

66. Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 Augusti 1851.

67. Jure naturae matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus, divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 Augusti 1851.

Alloc. *Acerbissimum*, 27 Septembris 1852.

68. Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta existentia tollenda sunt.

Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 Junii 1851.

69. Ecclesia sequioribus saeculis dirimentia impedimenta inducere coepit, non jure proprio, sed illo jure usa, quod a civili potestate mutuata erat.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 Augusti 1851.

70. Tridentini canones qui anathematis censuram illis inferunt qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiae negare audeant, vel non sunt dogmatici vel de hac mutuata potestate intelligendi sunt.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 Augusti 1851.

71. Tridentina forma sub infirmitatis poena non obligat, ubi lex civilis aliam formam praestituat, et velit hac nova forma interveniente matrimonium valere.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 Augusti 1851.

72. Bonifacius VIII. votum castitatis in Ordinâtione emissum nuptias nullas reddere primus asseruit.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 Augusti 1851.

73. Vi contractus mere civilis potest inter Christianos constare veri nominis matrimonium; falsumque est, aut contractum matrimonii inter Christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum, si sacramentum excludatur.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 Augusti 1851.

Lettera di S.S. PIO IX. al Re di Sardegna, 9 Settembre 1852.

Alloc. *Acerbissimum*, 27 Septembris 1852.

Alloc. *Multis gravibusque*, 17 Decembris 1860.

74. Causae matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 Augusti 1851.

Alloc. *Acerbissimum*, 27 Septembris 1852.

N.B. Huc facere possunt duo alii errores de clericorum coelibatu abolendo et de statu matrimonii statui virginitatis anteferendo. Confodiuntur, prior in epist. encycl. *Qui pluribus*, 9 Novembris 1846, posterior in litteris apost. *Multiplices inter*, 10 Junii 1851.

§ IX.

ERRORES DE CIVILI ROMANI PONTIFICIS PRINCIPATU.

75. De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se Christianae et Catholicae Ecclesiae filii.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 Augusti 1851.

76. Abrogatio civilis imperii, quo Apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiae libertatem felicitatemque vel maxime conduceret.

Alloc. *Quibus quantisque*, 20 Aprilis 1849.

N.B. Praeter hos errores explicite notatos, alii complures implicite reprobantur proposita et asserta doctrina, quam Catholici omnes firmissime retinere debeant, de civili Romani Pontificis principatu. Ejusmodi doctrina luculenter traditur in Alloc. *Quibus quantisque*, 20 Aprilis, 1849; in Alloc. *Si semper antea*, 20 Maii 1850; in Litt. Apost. *Cum Catholica Ecclesia*, 26 Martii 1860; in Alloc. *Novos*, 28 Septembris 1860; in Alloc. *Jamdudum*, 18 Martii 1861; in Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

§ X.

ERRORES QUI AD LIBERALISMUM HODIERNUM REFERUNTUR.

77. Aetate hac nostra non amplius expedit, religionem Catholicam haberi tamquam unicam Status religionem, caeteris quibuscumque cultibus exclusis.

Alloc. *Nemo vestrum*, 26 Julii 1855.

78. Hinc laudabiliter in quibusdam Catholici nominis regionibus lege cautum est ut hominibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii cujusque cultus exercitium habere.

Alloc. *Acerbissimum*, 27 Septembris 1852.

79. Enimvero falsum est, civilem cujusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos ac indifferentismi pestem propagandam.

Alloc. *Numquam fore*, 15 Decembris 1856.

80. Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo et cum recenti civilitate sese reconciliare et componere.

Alloc. *Jamdudum cernimus*, 18 Martii 1861.

APPENDIX IV.

[*Ad. pag.* 75. *n.* 33.]

DECRETUM

SUPER USU FORMULAE BREVIORIS IN BAPTISMO ADULTORUM.

Cum Archiepiscopi et Episcopi Hiberniae in Plenaria Synodo Maynutiana, attentis multis difficultatibus, quibus forma baptismi adultorum, quae in Rituali Romano praescribitur, praecipue in casu conversorum ad fidem obnoxia est, humiliter S. Sedi supplicaverint, ut forma breviori et magis accommodata conversis uti ipsis liceat; SSm̃us Dominus Pius Divina Providentia PP. IX., referente me infrascripto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Pro-Secretario, in audientia diei 3 Septembris currentis anni 1876 impertiri dignatus est *ad quinquennium* facultatem utendi in adultis sacro fonte abluendis breviori formula pro baptismate parvulorum in Rituali Romano praescripta, omissa longiori pro adultis ibidem statuta, quando aliquod incommodum exinde obventurum timeatur, dictamque facultatem Sacerdotibus sibi subditis subdelegandi, monitis tamen iisdem Praesulibus, ut sensim sine sensu ad Ritualis Romani normam redire satagant.

Contrariis quibusque neutiquam obstantibus.

Datum Romae ex Aed. S. C. de Prop. Fide die 1 Septembris 1876.

ALEXANDER CARD. FRANCHI, *Praef.*

LOC. ✠ SIG. J. B. AGNOZZI, *P. Secret.*

APPENDIX V.

[*Ad. pag.* 76, *n.* 39.]

DE PROFESSIONE FIDEI ET ABSOLUTIONE HAERETICORUM.

I.

Proposito dubio R. P. D. Epi. Philadelphiae circa professionem fidei ac absolutionem haereticorum dum convertuntur, feria iv. die 20 Julii 1859, Eñi DD. decreverunt dandam esse instructionem prout sequitur:

In conversione haereticorum inquirendum 1° De validitate Baptismi in haeresi suscepti. Instituto igitur diligenti examine, si compertum fuerit aut nullum aut nulliter collatum fuisse, baptizandi erunt absolute. Si autem investigatione peracta adhuc probabile dubium de baptismi validitate supersit, tunc sub conditione iteratur. Demum si constiterit validum fuisse, recipiendi erunt tantummodo ad abjurationem seu professionem fidei. Triplex igitur in conciliandis haereticis distinguitur procedendi methodus.

1° Si Baptismus absolute conferatur, nulla requiritur abjuratio, nec absolutio, eo quod omnia abluat sacramentum regenerationis.

2° Si Baptismus sit sub conditione iterandus, hoc ordine procedendum erit.

(A). Abjuratio seu Fidei professio.

(B). Baptismus conditionatus.

(C). Confessio Sacramentalis cum absolutione conditionata.

3° Quando denique validum judicatum fuerit baptisma, sola recipitur abjuratio seu fidei professio quam absolutio a censuris sequitur.

Notandum vero abjurationem seu professionem fidei aliam esse ab ea quae habetur in Bulla Pii IV. Nam a Suprema S. C. S. Officii praescripta fuit illa quae adnectitur pro conversione haereticorum, eaque utetur Epus. Orator cum formula absolutionis quae pariter adjungitur.

N.B.—Quoad professionem fidei vide folium typis editum, atque heic imprimendum: quoad vero formulam absolutionis, en modus quo proceditur:—

Neo-converso genuflexo manente, Sacerdos sedens dicit Ps. *Miserere*, etc., sive Ps. *De Profundis*, etc., cum *Gloria Patri* in fine. Quo finito Sacerdos stans dicit:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. (Secreto).

V. Et ne nos inducas in tentationem. R. Sed libera nos a malo.

V. Salvum fac servum tuum (vel ancillam tuam.)

R. Deus meus sperantem in te.

V. Domine, exaudi orationem meam. R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum. R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram, ut hunc famulum tuum (hanc famulam tuam) quem (quam) excommunicationis catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat. Per Dominum, etc.

Deinde Sacerdos sedet, et ad Profitentem genuflexum versus, eum ab haeresi absolvit dicens.

Auctoritate Apostolica, qua fungor in hac parte, absolvo te a vinculo excommunicationis quam[1] *incurristi, et restituo*

[1] In dubio gravi aut levi utrum poenitens excommunicationem incurrerit per haeresim professam, Sacerdos hic inserat vocabulum *forsan*.

te Sacrosanctis Ecclesiae Sacramentis, communioni, et unitati fidelium. In nomine Patris, et Fi ✠ lii et Spiritus Sancti. R. Amen.

Denique abjuranti aliquam Poenitentiam salutarem injungat, ex. gr. aliquas preces, visitare Ecclesiam, aut similia.

II.

PROFESSION OF FAITH.

I, , son (daughter) of , of the age of years, on my knees before you, Most Reverend Father , of the order of Friars Preachers, Master in holy Theology, and Commissioner-General of the Holy Roman and Universal Inquisition, having before my eyes the Holy Gospels which I touch with my hands, and knowing that no one can be saved without that faith which the Holy Catholic Apostolic Roman Church holds, believes, and teaches, against which I grieve that I have greatly erred, inasmuch as, born of parents who were out of the said Church, I have held and believed doctrines opposed to her teaching.

I now, with grief and contrition, profess that I believe the Holy Catholic Apostolic Roman Church to be the only and true Church established on earth by JESUS CHRIST, to which I submit myself with my whole heart. I believe all the articles that She proposes to my belief, and I reject and condemn all that She rejects and condemns, and I am ready to observe all that She commands me, and especially I profess that I believe :—

One only God in Three Divine Persons, distinct from, and equal to, each other, that is to say—the Father, the Son, and the Holy Ghost.

The Catholic doctrine of the Incarnation, Passion,

Death, and Resurrection of our Lord Jesus Christ, and the Hypostatic Union of the two Natures, the divine and the human; the Divine Maternity of the Most Holy Mary, together with her most spotless Virginity.

The true, real, and substantial presence of the Body, together with the Soul and Divinity of our Lord Jesus Christ in the most holy Sacrament of the Eucharist.

The seven Sacraments instituted by Jesus Christ for the salvation of mankind, that is to say—Baptism, Confirmation, Eucharist, Penance, Extreme Unction, Order, Matrimony.

Purgatory, the Resurrection of the Dead, Everlasting Life.

The Primacy, not only of honour, but also of jurisdiction of the Roman Pontiff, successor of St. Peter, Prince of the Apostles, Vicar of Jesus Christ.

The veneration of Saints and of their images.

The authority of the Apostolic and Ecclesiastical Traditions, and of the Holy Scriptures, which we must interpret and understand only in the sense which our Holy Mother the Catholic Church has held and holds.

And everything else that has been defined and declared by the sacred Canons and by the General Councils, especially by the Holy Council of Trent.

With a sincere heart therefore, and with unfeigned belief, I detest and abjure every error, heresy, and sect opposed to the said Holy Catholic and Apostolic Roman Church. So help me God, and these his holy Gospels which I touch with my hands.

I,   , as aforesaid, have with my own hand signed this act of my sincere conversion, and return into the bosom of the same Church, which I have recited word for word.

This   day ot

APPENDIX VI.

[*Ad. pag.* 79, *n.* 51.]

RESCRIPTUM DE TEMPORE PASCHALI.

Hibernenses Antistites ex Concilio apud Thurlesiam habito preces in hunc modum Sedi Apostolicae exhibuerunt:

"Tempus Paschale pro tota Hibernia ex indulto Pauli V. a die Cinerum usque ad diem Ascensionis Domini extenditur. Cum vero ob multitudinem fidelium intra illud tempus omnes praeceptum adimplere non possint, supplicem libellum Pontifici exhibendum esse arbitramur, ut ulteriorem prorogationem ejusdem temporis usque ad octavam festi SSrum Apostolorum Petri et Pauli benigne concedat."

Ex Aud. Sanctissimi habita die 4 Maii 1851.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Divina Providentia PP. IX. referente me infrascripto S. Congregationis de Propaganda Fide Secretario, juxta votum EE. PP. ejusdem S. C. benigne indulsit juxta petita; contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dat. Romae, ex Aed. dictae S. C. de Propaganda Fide, die et anno quibus supra.

Gratis, sine ulla omnino solutione quocumque titulo.

Al. Barnabo, a Secretis.

APPENDIX VII.

[*Ad. pag.* 79, *n.* 54.]

INSTRUCTIO

S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE DATA DIE 25 FEB. 1859, DE DELATIONE SANCTISSIMI AD INFIRMOS.

ILLME ET RME DOMINE.

Etsi sancta omnia sancte tractanda sint, propterea quod ad Deum pertineant qui essentialiter sanctus est, attamen augustissimum Eucharistiae sacramentum sicut sacris mysteriis omnibus absque ulla comparatione sanctitate praeeminet, ita maxima prae ceteris veneratione est pertractandum. Nil itaque mirum si tot Ecclesia diversis temporibus ediderit decreta, quibus SSmae Eucharistiae delatio pro adjunctorum varietate vel denegaretur omnino, vel ea qua par esset reverentia admitteretur;[1] cum nihil antiquius fuerit Ecclesiae Dei quam ut animarum profectum atque aedificationem debito cum honore divinorum omnium divinissimi mysterii consociaret. Haec porro prae oculis habens Sacrum hoc Consilium Christiano Nomini Propagando, cum primum intellexit in quibusdam istius regionis Dioecesibus consuetudinem seu potius abusum invaluisse, ut Sacerdotes SSmum Sacramentum a mane usque ad vesperam secum deferrent ea tantum de causa quod in aliquem forte aegrotum incidere possent, ad Metropolitanos censuit scribendum, tum ut consuetudinem illam ab Ecclesiae praxi omnino abhorrere declararet, tum etiam ut ejus extensionem accuratius deprehenderet. Responsa Archiepiscoporum brevi ad Sacram Congregationem pervenerunt,

[1] Vid. quae in rem proferuntur in subjectis notis.

ex quibus innotuit, multis in locis de abusu illo gravem admirationem exortam esse, cum aliqua in Dioecesi ne credibilis quidem videretur. Verum non defuerunt Antistites qui illius existentiam ejusque causas ingenue confessi sunt. Quare Emis Patribus Sacri hujus Consilii in generalibus comitiis die 28 Septembris elapsi anni habitis, omnia quae ad hanc rem referebantur exhibita sunt perpendenda, ut quid SSmi Sacramenti debitus honor ac veneratio postularent in Domino decerneretur. Omnibus igitur maturo examini subjectis, statuerunt Emi Patres literas encyclicas ad Archiepiscopos atque Episcopos istius regionis dandas esse, quibus constans Ecclesiae rigor circa Eucharistiae delationem commemoraretur. Voluit insuper S. C. ut sacrorum Antistites excitarentur, quemadmodum praesentium tenore excitantur, ad communem Ecclesiae disciplinam hac in re custodiendam, quantum temporis ac locorum adjuncta nec non inductarum consuetudinum ratio patiantur, ita tamen ut sedulam navent operam ad veros abusus corrigendos atque eliminandos. Quam quidem in rem censuerunt Patres Emi apprime conferre frequentem celebrationem sacrificii missae, quo videlicet Sacerdotes facile necessitati occurrere possunt SSmam Eucharistiam secum per multos dies retinendi. Quae cum ita sint, hortor Amplitudinem tuam, ut in eum finem rurales aediculas multiplicandas cures, atque talia edas decreta ex quibus delatio SSmi Sacramenti ad urgentes tantum causas, atque ad actuale ministerii sacerdotalis exercitium coarctetur, injuncta vero presbyteris stricta obligatione semper in hisce casibus Sanctam Hostiam super pectus deferendi. Denique decreverunt Emi Patres ut de negotio isto gravissimo in Provincialibus Conciliis agatur, quo nimirum Episcopi eam in suis dioecesibus communem normam inducere satagant, quam augustissimum Eucharistiae mysterium decere existimaverint. Tandem Ampli-

tudini tuae significare non praetermitto omnia et singula quae superius decreta sunt SSmo D. N. Pio PP. IX. per me relata fuisse in audientia diei 8 Octobris elapsi anni, eaque a Sanctitate Sua in omnibus adprobata fuisse atque apostolica auctoritate confirmata.

Datum Romae ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide die 25 Februarii 1859.

Amplitudinis Tuae

Uti Frater addictissimus.

1. *Ex dubiis propositis pro christianis Sinensibus.* Ad propositum dubium "An sacerdotibus sinensibus liceat in itineribus quae longissima sunt secum deferre Eucharistiam ne ea priventur?" Resp. Non licere. Qualificatores S. O. die 27 Martii 1865, et Emi approbarunt die 15 April 1865.

2. Pro Gubernatoribus navium Lusitaniae qui singulis annis in Indias orientales navigant, petentibus licentiam deferendi sacramentum Eucharistiae, ne nautae et Rectores sine viatico decedant. Lecto memoriali et auditis votis SSmus supradictam petitionem omnino rejecit; ita quod nec in posterum ullo modo de ea tractetur. S. C. S. O. die 13 Julii 1660.

3. Bened. XIV. *Inter omnigenas* "pro Incolis Regni Serviae et finitimarum Regionum." "At ubi (sicuti ibidem legitur) Turcarum vis praevalet et iniquitas, sacerdos stolam semper habeat coopertam vestibus; in sacculo seu bursa pixidem recondat quam per funiculos collo appensam in sinu reponat et nunquam solus procedat, sed uno saltem fideli, in defectu Clerici, associetur."

4. Honorius III. in cap. *Sane* de celebratione Miss. expresse habet de delatione Eucharistiae quod si "in partibus infidelium ob necessitatem S. Viatici permittitur, tamen extra necessitatem permittenda non est, cum hodie Ecclesiastica lege absolute prohibitum sit ut occulte

deferatur. Occulte deferre in itinere, nequit moraliter fieri absque irreverentia tanti sacramenti."

5. Verricelli de Apostolicis Missionibus Tit. 8. pag. 136. expendit, "An liceat in novo Orbe Missionariis S. Eucharistiam collo appensam secum in itinere occulte deferre etc. et quidquid sit de veteri disciplina concludit hodie universalis Ecclesiae consuetudine et plurimorum Conciliorum decretis prohibitum est deferre occulte S. Eucharistiam in itinere, nisi pro communicando infirmo, ubi esset timor et periculum infidelium, et dummodo ad infirmum non sit nimis longum iter sed modicum et unius diei."

6. Thomas a Jesu de procur. salut. omnium gentium lib. 7. "non auderem Evangelii ministros qui in illis regionibus aut aliis infidelium provinciis conversantes, si imminente mortis periculo secum Viaticum, occulte tamen, deferrent, condemnare."

APPENDIX VIII.

[*Ad. pag.* 81, *n.* 67.]

DE FACULTATE SECUNDAM MISSAM EADEM DIE CELEBRANDI.

I.

ISTRUZIONE

DELLA S. CONGREGAZIONE DI PROPAGANDA SUL BINARE LA MESSA.

1. La facoltà di binare la Messa, di cui la S. Sede suol munire gli Ordinarii delle Missioni con che possano comunicarla ai loro Missionarii, ha suscitato non pochi dubbi, proposti dai medesimi a questa S. Congregazione. La ragione di tali dubbi si desume dal rigore stesso delle clausole, che per ordine di Alessandro VII. furono apposte al relativo articolo delle Formole. Il perchè è sembrato opportuno di raccogliere nella presente istruzione le massime e le regole più comuni, che deggiono aversi in vista nell' uso della menzionata facoltà.

2. Ognuno sa, che per regola generale secondo l'odierna disciplina della Chiesa, è lecito ai Sacerdoti di offrire il S. Sagrificio una sola volta il giorno. Così dispone Innoc. III. :[1] "respondemus quod excepto die Nativitatis Domi-

[1] Cap. *Consuluisti* de celebratione Missarum.

"nicae *nisi causa necessitatis suadeat,* sufficit Sacerdoti "semel in die unam Missam solummodo celebrare."

3. Nel caso adunque di necessità si permette ai Sacerdoti d'iterare la Messa in un medesimo giorno. Ciò per altro deve intendersi, come risulta chiaramente dai termini stessi delle Formole, del permesso di celebrare due Messe soltanto, malgrado la gravità delle cause per celebrarne un numero maggiore. Domandava il Prefetto della Missione de' Cappuccini di Tunisi, se essendo tutti i suoi Missionarii carcerati, avrebbe potuto in un medesimo giorno, *si necessitas urgeat,* celebrarne più di due. E la Congregazione Generale di Propaganda dei 7. Agosto 1684. risolveva "non posse vigore facultatum celebrare ultra duas Missas." Il che erasi già risposto nella Congregazione Generale tenuta *coram Ssmo.* ai 17 Febbraro 1648; poichè esposto l'abuso che erasi introdotto presso i Sacerdoti schiavi in Algeri di celebrare tre Messe "Ssmus... jussit per dictum "Praefectum (Algeriae) praecipi nomine Sanctitatis suae "Sacerdotibus . . . quod cum Sedes Apostolica in facul- "tatibus Missionariorum potestatem seu licentiam conces- "serit celebrandi bis in die, ubi necessitas id exegerit, ne "deinceps ultra duas Missas celebrent." Lo stesso si ripeteva negli anni 1818 e 1820 al Prefetto Apostolico di Tunisi.

4. La necessità adunque è l'unico titolo per cui si autorizzano i Sacerdoti a binare la Messa. Convien però osservare anzi tratto col Verricelli[1] che "haec necessitas "non est desumenda ex parte inopiae Sacerdotum, sed ex "parte necessitatis spiritualis populi, et raritate Sacer- "dotum." Posto il quale principio è agevole ricavare varie regole negative sull' uso della facoltà, di cui si tratta.

5. In 1° luogo è chiaro che mal si apporrebbe chi dicesse potersi binare nelle feste soppresse, in cui il popolo va

1 De Apost. Missionibus Tit. IV. Qu. 98 Dub. 18 n. 201.

esente dall' obbligo di ascoltare la Messa, come avvertivasi dalla S. Congregazione nel 1837: "Re mature perpensa, "ex ipsius formulae verbis satis clare patuit non posse "facultates ad abrogatas festivitates extendi. Cum enim "in memorata formula declaretur facultatem valere si "necessitas urgeat, sequitur ex eo unice titulo, quod dies "illi festi olim fuerint, non posse Missam bis ab eodem "Sacerdote celebrari."

6. 2° Parimenti è vietato il binare per comodo di quelli, che amassero di sodisfare al precetto della Messa nelle private loro Cappelle. Avea rappresentato nel 1842 il Vicario Apostolico di Limburgo la consuetudine invalsa colà di permettere la binazione negli Oratorii privati *in castris magnatorum*, nè credendo in tali occasioni avverarsi la necessità voluta dalle Formole, chiese tanto in vista della consuetudine che della utilità morale che ne derivava, d'essere autorizzato a permetterlo. Ma il S. Offizio giudicò *juxta exposita non expedire*. E avendo replicato il Vicario Apostolico, che alcuni Sacerdoti per la facoltà avutane anteriormente dal suo predecessore proseguivano a binare, la Suprema decretò "facultatem esse revocan-"dam, quatenus Vicarius Apostolicus Limburgen. pru-"denter id fieri posse existimet."

7. 3° Da queste stesse risoluzioni si deduce che la consuetudine non è un titolo sufficiente perché uno stesso Sacerdote possa offrire in un giorno due volte il s. Sagrificio. E ciò è conforme a quanto insegna Bened. XIV. nella cost. *Declarasti nobis* diretta ai 16 Marzo 1746 al Vescovo di Huesca in Aragona: "Solum inquirimus, così "il Pontefice, utrum ea consuetudo rationem praescrip-"tionis aut praesumptionis sibi comparavit, et utrumque "falsum et alienum judicamus." Ed inquanto alla prescrizione dice: "Si etenim juxta civiles leges sanctae res "praescribi non possunt, absonum undique est asserere

"fuisse per praescriptionem aliquid obtentum vel requi-"situm, quod adversetur sanctionibus universalibus Eccle-"siae, quarum observantiam S. Concilium Trid. in Mis-"sarum celebratione Sacerdotibus omnibus praecipit." Sulla presunzione poi soggiunge: "Sed ceteris praeter-"missis subdimus haec intelligi posse de illis privilegiis, "quae impetrari potuissent a Sede Apostolica, si quis ea "postulasset; non vero de iis, quae cum postulantur, negari "omnino consueverunt, ne praesumptio plus habeat roboris "et momenti quam veritas." Ond' è che quando la S. Congregazione ha conosciuto che in qualche luogo fosse invalsa la consuetudine di binare la Messa senza necessità, non ha mancato di riprovare consuetudine di tal fatta siccome un abuso, eccitando lo zelo dei Vescovi ad eliminarla.

8. 4°· Anche la povertà dei preti è ben lungi dal giustificare la binazione della Messa, come già si accennò dal Verricelli.[1] Un Arcivescovo d'Irlanda dimandò nel 1688 "se per la sola causa della povertà possono li Regolari "celebrare due Messe nei giorni festivi, facendolo nelle "case private non ostante che tutte le parrocchie e li con-"venti abbiano le loro chiese e cappelle." La risposta della S. Congregazione fu negativa; ed essendosi riferito nelle due particolari Congregazioni di Propoganda dei 7 Marzo 1743, e 28 Luglio 1750 che tuttora vigeva in Irlanda il divisato abuso, perchè molti Sacerdoti si servivano "della "facoltà di binare non per altro fine che di aver limosine "piu abbondanti, e quindi potersi più comodamente sos-"tentare," gli EE. PP. ordinarono: *Graviter moneantur Sacerdotes, ne facultate celebrandi bis in die abutantur, ut stipendium largius et pinguius habeant.* E da Bened. XIV.[2] chiamasi *abusus intolerabilis* quello di dare ad un Sacerdote la facoltà di binare *eum in finem, ut duplici eleemosyna decentius se substentaret.* Solo ad usare un riguardo ai

[1] L. cit. [2] Cost *Apostolicum ministerium*, 30 Maggio, 1753, § 11.

Religiosi poveri di quel regno, i quali eransi lamentati di un analoga proibizione fatta nel 1817 dal sinodo Provinciale di Tuam pel danno, che loro recava, togliendo ad essi l'elemosina che all'occasione della Messa solevano percipire alla porta della Chiesa, mentre essi vivevano delle contribuzioni de' fedeli, volle la S. Congregazione che si avvertissero i Vescovi, che "in impertienda de auctoritate Apos-"tolica Sacerdotibus licentia celebrandi diebus festis de "praecepto duas Missas ob causas necessitatis ab Apos-"tolicis constitutionibus approbatas rationem habeant "Sacerdotum regularium ac praesertim illorum qui in "pauperibus coenobiis moram trahunt." Del resto avendo dichiarato la S. Congregazione del Concilio "ex praxi "generali Presbyteris non concedi eleemosynam recipere "pro secunda Missa, etiamsi de illis agatur qui parochiali "munere instructi ideo stipendium pro prima Missa ne-"queunt obtinere, quod eam *pro populo* applicare tenean-"tur," come si notificò con apposita Circolare della Propaganda dei 15 Ottob. 1863 agli Ordinarii delle Missioni, si è tolto oggimai ogni pretesto all' abuso di binare la Messa ad intuito dello stipendio. In vista però delle particolari circostanze di alcune Missioni il S. Padre si è degnato autorizzare, come consta dalla Circolare medesima, i predetti Ordinarii a permettere "ut justa et gravi causa interce-"dente, Sacerdotes sibi subditi etiam pro secunda Missa in "eadem die celebranda stipendium percipere possint ac "valeant."

9. 5°. Non occorre da ultimo notare, che è vietato al Sacerdote di celebrare due volte la Messa, qualora possa aversi altro Sacerdote, pel cui mezzo possa soddisfarsi alla necessitá del popolo, come insegna espressamente Bened. XIV. nella precitata Cost.—*Declarasti Nobis*. Ed è perciò, che prima di farsi luogo alla binazione, conviene esaminare se vi sia alcuno de' rimedi stabiliti dal diritto per prov-

vedere allo spirituale bisogno del popolo; e dapprima è tenuto il parroco stesso a somministrare ad un altro Sacerdote lo stipendio; posta l'impotenza di esso, vi è tenuto il popolo; e finalmente, se neppure il popolo per la sua povertà, vi si potesse costringere, vi dovrebbe supplire l'Ordinario.[1]

10. Fin quì dei casi in cui è proibito iterare la Messa. Venendo ora ai casi in cui concorre la necessità richiesta a tale effetto, trovansi i medesimi svolti nella Cost. *Declarasti Nobis*. In essa si osserva primieramente, che secondo l'unanime consenso de' Teologi si permette binare la Messa al Sacerdote "qui duas Parochias obtineat, vel duos "populos adeo sejunctos, ut alter ipsorum Parocho cele-"branti per dies festos adesse nullo modo possit ob locorum "maximam distantiam." Ed è questo il primo caso, e più comune; l'altro che ivi si enumera, è "quando una tantum "sit Ecclesia, in qua Missa celebratur, et ad quam insimul "universus populus convenire non potest."

11. Nei casi suenunciati può iterarsi la Messa anche da chi non trovasi munito delle facoltà delle Formole che sogliono concedersi dalla Propaganda, consentendolo lo stesso diritto comune, sempre però dipendentemente dall' Ordinario, cui s'appartiene il giudicare sia della vera necessità, come ancora della possibilità di applicare i rimedi canonici (§ 9). Diffatti dopo averli indicati Bened. XIV. soggiunge: "Quae huc usque dicta sunt, canonicis etiam "generalibus sanctionibus innituntur." Che anzi è concorde opinione de' Teologi, come avverte Bened. XIV. nel caso di un sol parroco con due parrochie "parochum nedum "posse, sed plane teneri bis eodem die missam celebrare."[2] Di che facilmente ne conseguita che l'analogo articolo delle

[1] Ben. XIV. l. cit. Voto del Card. Zelada *Thesaur. resolutionum* Tom. 37, in causa Derthusen. 25 Agosto 1768.

[2] De Syn. Dioec. L. VI. cap. VIII. n. 2

Formole, essendo facoltativo, si estende anche ad altri casi di necessità non contemplati nel diritto comune, altrimenti renderebbesi inutile, almeno pe' luoghi, ove le parrocchie sono canonicamente istituite, disponendo per queste lo stesso dritto comune. Ciò è conforme a quanto il lodato Pontefice dice nell' opera *de Sacros. Missae Sacrificio*,[1] ove dopo aver asserito "casum qui revera contingit, eum "esse cum parochus duas habet parochias etc.," prosiegue nei seguenti termini: "neque tamen quidquam praejudi-"catum volumus de aliis casibus, qui accidunt in missioni-"bus, quibus consultum est concedendo Missionariis facul-"tatem plures celebrandi missas eodem die; itemque de "aliis casibus, in quibus vel ob locorum distantiam, vel ob "paucitatem Sacerdotum, aut haereticorum aut infidelium "persecutionem, ne fideles missa careant, opus est a Sacer-"dotibus duas missas celebrari." E di queste cause appunto che hanno luogo nelle Missioni e per le quali si dà ai Superiori delle medesime la facoltà, si parlava nel 1832 dalla Propaganda nello scrivere ad un Missionario di Filippopoli, il quale non celebrava più messe, quantunque assistesse più popolazioni. Impostoglisi cioè di binare anche per ordine della Congregazione generale, gli si soggiungeva: "Se poi ella domanda perchè alla facoltà di binar la Messa "nella formola dell' indulto sieno unite quelle clausole di "rigore, ella troverà nella formola stessa la risposta, osser-"vando, che l'indulto non si restringe ai bisogni del popolo "ne' giorni festivi, ma essendo in termini generali com-"prende ancora gli altri casi in questione, come sarebbe il "bisogno di amministrare il viatico agli infermi in ambedue "le parrocchie, ed in questi altri casi è dove debbono aver "luogo le cautele prescritte."

12. Ora appunto per questi casi meno ovvii si sono trovati non di rado imbarazzati i Vescovi ed i Missionarii

[1] Lib. iii. cap. v. n. 4.

nell' uso della facoltà, dubitando principalmente della sufficienza delle cause che si richiedessero a seconda delle clausole che l'accompagnano. D'altro lato tanti sono e sì differenti i casi che possono avvenire su questa materia nelle Missioni, da non potersi facilmente prevedere e molto meno ridurre a determinate regole, potendo variare il giudizio sui medesimi secondo le varie circostanze dei luoghi dei tempi e delle persone, che in essi concorrano. Ecco perchè la soluzione dei particolari dubbi che in proposito si sono avanzati, si è per lo più rimessa al savio discernimento del superiore della Missione.

13. E dapprima si è più volte chiesta una regola sul numero bastevole dei fedeli, perchè si possa iterare la messa. Nella Cost. *Apostolicum Ministerium* per l'Inghilterra si dice potersi far uso della facoltà "cum eorum numerus "qui diebus festivis tenentur sacris assistere, talem ex- "hibeat necessitatem, ut nisi alicui Sacerdoti duas Missas "eodem die celebrandi potestas concedatur, Ecclesiae man- "dato *plures* non satisfacerent." Questo criterio generale però non toglie ogni dubbio sul numero che sia necessario alla binazione. Lo stesso può dirsi di una risposta negativa del S. Uffizio nel 1688 ad alcuni Missionarii Cappuccini della Grecia. Aveano essi dimandato: "utrum "Missionarius Sacerdos solus in loco degens duas Missas "diebus dominicis et festivis pro quindecim seu viginti "personis, quae legitime impeditae primae Missae adesse "non valuerunt, celebrare possit;" e la Suprema ai 28 Genn. dello stesso anno decretò *non licere*. Se peraltro il numero di venti è insufficiente all' effetto, può ulteriormente dimandarsi, quale sia il numero minimo, che basti.

14. Ma intorno a questo dubbio, come a quelli concernenti la distanza, la S. Congregazione ha tenuto la massima di lasciarli decidere dalla prudenza degli Ordinari delle Missioni, da cui dipende la facoltà, potendo essi soli

sulla faccia dei luoghi dare il giusto peso a tutte le circostanze concorrenti nelle singole contingenze. Ed invero fin dal 1688 il Prefetto della Missione di Tunisi in Barbaria chiedeva in generale, che si dichiarasse, quale dovesse essere il numero de' fedeli privi d'altronde di messa a riguardo di cui si potesse binare; e la Congregazione Generale di Propaganda dei 16 Novembre rispondeva: *Relinquatur charitati et conscientiae P. Praefecti.* Similmente il Vescovo di S. Louis negli Stati Uniti d'America nel 1828 dopo aver esposto come il proprio, così il timore di altri Vescovi di gravarsi la coscienza per le clausole delle formole, dimandava " utrum quoties triginta aut quinqua- " ginta fideles periculo exponuntur missam de praecepto " non audire, bis celebrare valeant." Con lettera dei 13 Marzo per ordine di Leone XII. gli si rescrisse " omnem " te anxietatem animi deponere debere, et quin commove- " aris verborum rigore, Se conscientiae ac prudentiae tuae " committere, ut judices quibus in casibus ratione habita " adjunctorum dioecesis tuae graves adesse causae cen- " sendae sint, facultatem, de qua sermo est, Sacerdotibus " impertiendi. Ubi vero has causas graves secundum " conscientiam, prudentiamque tuam arbitratus fueris, " Sanctitas Sua posse te absque ulla dubitatione ea facul- " tate uti benigne declaravit."

15. Una consimile risposta fù anche data nel 1851 al Vicario Apostolico di Limburgo, il quale avea proposto un dubbio sulla distanza. " In hac regione (così egli) ex " antiqua consuetudine binandi licentia aliquando conce- " ditur ob necessitatem moralem, licet parochia vicinior " non distet ultra spatium mediae leucae: quaeritur num " recte." La Propaganda con lettera dei 31 luglio gli rispose: " Praemisso Episcoporum esse muneris pro viri- " bus curare, ut hac uti facultate non sit opus ad succur- " rendum fidelium necessitatibus, praxis generalis servanda

"in singulis casibus assignari non potest. Quapropter "in casibus ut supra particularibus, deficiente presby- "terorum copia, aliisque omnibus circumstantiis mature "perpensis prudenti judicio Superioris definiendum, utrum "eo in casu concurrant gravia rerum adjuncta, quae tra- "dunt Doctores necessitatis casum efficere (uti propositus "videtur) in quo dispensationi a praecepto universali de "non iterando sacrificio ab eodem presbytero eademque "die locus fiat, et binandi facultati tribuendae, qua parce "omnino illum uti debere ex apostolici ipsius indulti "verbis apprime perspicitur." E questa istruzione ne' termini stessi fù inviata al Vescovo di Treviri nel 1853, da parte del quale erano stati proposti svariati dubbi sul binare la messa, essendoglisi scritto ai 28 Settembre, che considerati i suoi quesiti "censuit S. Congregatio dandam "esse instructionem, quam . . . . Vicarius Apostolicus "Limburgen. obtinuit sub die 31 Julii an 1851."

16. Per altro tra le varie risposte, che affidano il giudizio sulla gravità delle cause al Superiore, alcune meritano peculiar menzione, come quelle che senza dilungarsi dalla regola ordinaria di chiamar il Superiore stesso a giudicar delle cause, indicano insieme in qualche guisa la qualità, o il grado della necessità richiesta per la binazione, e talora temperano alquanto l'impressione, e calmano la soverchia anzietà che avean prodotto ne' Vescovi e Missionarii le clausole, ond' è vincolata nelle Formole questa facoltà. Una di tali risposte fù data nel 1848 ad un Vescovo degli Stati Uniti d'America: "Venio ad postulatum tuum (così "in una lettera dei 9 Maggio) circa modum interpretandi "necessitatem quae requiritur ad licitum usum facultatis "bis in die missam celebrandi. . . . Noverit ergo Ampli- "tudo Tua necessitatem hujusmodi, de qua sermo est, "veram quidem sed moralem intelligi; non autem abso- "lutam de qua proinde dijudicare in singulis casibus

"pendet a prudenti judicio inspectis circumstantiis. Caveas "ergo oportet hac in re ab anxietate nimia in dijudicando, "ne frustra concessa aut pene in nullo casu ad actum re- "ducenda facultas praedicta videatur." Più notevole è la dichiarazione, che si porse nel 1828 ad un Prefetto Apostolico nelle Antille di America. Diffidando quel Prefetto di poter far uso tranquillamente della facoltà in discorso per le gravi condizioni, che la circondano, avea implorato "ampliorem facultatem a Sede Apostolica copiam faciendi "presbyteris . . . . ut diebus dominicis et festis de prae- "cepto missam bis celebrare possint, cum id postulet "necessitas aut spiritualis fidelium utilitas." Fattane relazione al Papa nell' udienza dei 13 Aprile gli si rispose nel modo seguente: "Talis existimatio est virtutis et pru- "dentiae tuae, ut Ss. D. N. jusserit, omnem deponere te "debere anxietatem animi, et si existimaveris necessarium "esse vel fidelibus vehementer utile, ut Sacerdotes bis "missam eodem festo die celebrent, verborum quibus "rescriptum contineri videtur, rigore commoveri te non "debere. Prudentiae itaque et conscientiae D. T. com- "mittit de necessitate ista, et causarum gravitate judicare "atque in iis rerum adjunctis facultatem per memoratum "rescriptum copiam faciendi Sacerdotibus, ut missam bis "celebrent, te habere Sanctitas Sua benigne declaravit."

17. La medesima regola di commettere all'arbitrio o alla carità de' Superiori delle Missioni l'applicazione de'principii generali ai casi pratici, si è osservata anche quando in essi, come eransi esposti, non si scorgesse quella grave urgenza di cause considerandole almeno in se stesse e in astratto, quale esiggono le clausole di questa facoltà; il che appunto conferma doversi dare gran parte nel calcolo delle ragioni, che ne giustificano l'uso, alle condizioni tutte e allo stato de' fedeli. Di ciò fa testimonianza la risposta data da questa S. Congregazione

nel 1688 al Vice-Prefetto della Missione di Tripoli. Il quale incerto per le più volte accennate clausole avea richiesto, "a quanto numero di schiavi o liberi possa "celebrare precisamente la seconda messa, dandosi tal-"volta il caso, che nel bagno fuori di Tripoli non si "ritrovino presenti al sacrificio dieci o quindici persone "schiavi...e se in mancanza di Sacerdoti per questi soli "possa celebrare la seconda volta le feste." Ora malgrado la sfavorevole decisione emanata in quell anno stesso dal S. Offizio per un caso simile, come si è detto al § 12, il S. Consesso di Propaganda dei 5 Ottobre ordinò *Relinquatur charitati et conscientiae P. V. Praefecti.* Nè è a meravigliare, se la Propaganda credè potersi far luogo a piú benigna interpretazione, trattandosi di schiavi, i quali per la loro condizione meritavano una particolare indulgenza, essendo forse l'unico loro conforto l'assistere al S. Sagrificio. Un altra prova di propensione ad una più mite interpretazione o connivenza in vista delle circostanze ne somministrò la Suprema nel 1860; imperocchè sebbene ai 20 giugno rispondesse al Vicario Apostolico d'un regno aggiacente alla Cina, "desiderium "Neophytorum bis aut ter in anno SSmam Eucharistiam "sumere volentium *per se* non esse urgentissimam causam, "in casu de quo agitur" cioè per iterar la messa secondo la facoltà, tuttavia soggiungeva: "sed pensatis omnibus "locorum et personarum circumstantiis relinquendum "arbitrio R. P. D. Vicarii Apostolici." D'onde risulta che quelle cause, le quali di per se stesse e quindi per molti luoghi non sono gravi, lo possono addivenire in alcuni altri per le circostanze, che vi si associno.

18. Sono queste le massime, che si sono avute in mira riguardo alla facoltà di binare, e che varranno certamente a tranquillizzare gli Ordinarii delle Missioni nell'esercizio della medesima. Se è vero che suol deferirsi in ciò al

savio discernimento degli Ordinarii delle Missioni, si rende chiaro però dalle cose discorse, quanto mai debbano essi cautelarsi, rimanendo sempre gravata la loro coscienza sul legittimo esercizio di siffatta straordinaria facoltà. Nondimeno le clausole usate nelle Formole "non debbonsi in-" terpretare (giova conchiudere con quest' avvertenza data "dalla S. C. nel 1832 al Vescovo di Nicopoli in Bulgaria) "nell' *estremo* rigore, avendo sempre in vista che la Sede "Apostolica concede la detta facoltà a spirituale vantaggio "dei fedeli, bramando che tutti abbiano il comodo di "adempiere il precetto ecclesiastico."

19. Resta ora a dire del rito, ossia del modo da tenersi nel binare la Messa. Su di che non è necessario osservare, essersi sempre prescritto ai Missionarii dalla S. Congregazione e dallo stesso Bened. XIV. che chi bina, non dee prendere le solite abluzioni del calice a cagion del digiuno, cosicchè "si in prima missa post receptionem Corporis et "Sanguinis, profusionem acceperit, non debet secundam "missam in praedictis casibus celebrare"[1] anche cioè in que' casi, in cui la popolazione altrimenti rimarrebbe priva della messa in giorno festivo. Sebbene poi con decreto della S. Congregazione de' Riti *in Ebusitana* die 16 Settembre 1815 erasi prescritto, che uno solo fosse il calice da adoperarsi da chi celebra due messe, siccome l'osservanza di un tale decreto involveva non lievi difficoltà, quando si dovesse celebrare in due Chiese remote l'una dall' altra; la encomiata S. Congregazione nei generali comizi dei 12 Settembre 1857 moderando il precedente decreto decise *usum duorum calicum in casu posse permitti.* La qui unita istruzione, che fù compilata per ordine della medesima S. C., riguarda il modo di purificare il calice servito per la prima messa.

Dalla Propaganda li 24 Maggio 1870.

[1] Conc. di Nimes tenuto nel 1284. presso Bened. XIV. De Sanct. Missae Sacrif. L. III. cap. V. n. 4.

II.

INSTRUCTIO

A S. R. C. DIE XII SEPTEMBRIS 1857 EDITA PRO SACERDOTE APOSTOLICAM FACULTATEM HABENTE BIS MISSAM EADEM DIE CELEBRANDI.

Quando Sacerdos eadem die duas Missas dissitis in locis celebrare debet, in prima dum divinum Sanguinem sumit, eum diligentissime sorbeat. Exinde super corporale ponat Calicem et palla tegat, ac junctis manibus in medio Altaris dicat: *Quod ore sumpsimus, etc.*, et subinde admoto aquae vasculo digitos lavet dicens: *Corpus tuum*, et abstergat. Hisce peractis Calicem super Corporale manentem adhuc, deducta palla cooperiat ceu mos est, scilicet primum purificatoris linteo, deinde patena ac palla, et demum velo. Post haec Missam prosequatur, et completo ultimo Evangelio, rursus stet in medio Altaris, et detecto Calice, inspiciat an aliquid divini Sanguinis nec ne ad imum se receperit, quod plerumque continget. Quamvis enim sacrae species primum sedulo sorptae sint, tamen dum sumuntur, cum particulae, quae circum sunt, undequaque sursum deserantur, non nisi deposito Calice ad imum redeunt. Si itaque divini Sanguinis gutta quaedam supersit adhuc, ea rursus ac diligenter sorbeatur et quidem ex eadem parte qua ille primum sumptus est. Quod nullimode omittendum est, quia Sacrificium moraliter durat, et super extantibus adhuc vini speciebus ex divino praecepto compleri debet.

Postmodum Sacerdos in ipsum Calicem tantum saltem aquae fundat, quantum prius vini posuerat, eamque cir-

cumactam ex eadem parte, qua S. Sanguinem biberat in paratum vas demittat. Calicem subinde ipsum Purificatorio linteo abstergat, ac demum cooperiat, uti alias fit atque ab altari discedat. Depositis vestibus sacris, et gratiarum actione completa, aqua e Calice demissa pro rerum adjunctis vel ad diem crastinum servetur (si nempe eo rursus Sacerdos redeat Missam habiturus) et in secunda purificatione in Calicem demittatur, vel gossipio aut stupa absorpta comburatur, vel in Sacrario si sit exsiccanda relinquatur, vel demittatur in piscinam.

Cum autem calix, quo Sacerdos primum est usus, purificatus jam sit, si illo ipso pro Missa altera indigeat, eum secum deferat: secus vero in altera Missa diverso Calice uti poterit.

Cum superior S. R. C. Instructio nonnisi casum respicit, quo Sacerdos duas Missas dissitis in locis eadem die sit celebraturus; operae pretium visum est ex Commentariis Bartholomaei Gavanti et Cajetani Mariae Merati hic ritum adjungere a Sacerdote servandum cum utramque Missam in eadem Ecclesia offerre debet.

Hoc itaque in casu Sacerdos post haustum in prima Missa diligenter Sanguinem Domini, omissa consueta purificatione, patena calicem et palla patenam tegens ac super corporale relinquens, dicet junctis manibus: *Quod ore sumpsimus Domine, etc.* Deinde digitos, quibus SS. Sacramentum tetigit, in aliquo vase mundo ad hoc in Altari praeparato abluet, interim dicens *Corpus tuum Domine, etc.*, abstersisque purificatorio digitis calicem velo cooperiet, velatumque ponet super corporale extensum. Absoluta Missa si nulla in Ecclesia sit sacristia, calicem eodem modo super Altare relinquet; secus vero in Sacristiam deferet, ibique super Corporale vel pallam in aliquo loco decenti et clauso collocabit usque ad secundam Missam: in qua, cum eodem calice uti debeat, illum rursus secum

deferet ad Altare, ac super corporale extensum reponet. Cum autem in secunda Missa Sacerdos ad Offertorium devenerit, ablato velo de Calice hunc parumper versus cornu Epistolae collocabit sed non extra corporale, factaque hostiae oblatione cavebit ne purificatorio extergat calicem, sed eum intra corporale relinquens leviter elevabit, vinumque et aquam eidem caute imponet, ne guttae aliquae ad labia ipsius Calicis resiliant, quem deinde nullatenus ab intus abstersum more solito offeret.

APPENDIX IX.

[*Ad. pag.* 124, *n.* 261.]

EXTRACTUM EX PRIMA SYNODO PROVINCIALI ANGLIAE.

MODUS PROCEDENDI IN CONSILIO CAPIENDO A CONCILIO INVESTIGATIONIS PRIUSQUAM FINALITER DEJICIATUR RECTOR MISSIONARIUS.

1° Ad Concilium investigationis non recurratur nisi prius clare et praecise exposita ab Episcopo causa ad dejectionem finalem movente, ipse rector missionarius malit rem ad Concilium deferri, quam sese sua sponte a munere et officio dimittere.

2° Cum Episcopo visum fuerit consilium capere a concilio investigationis de rectore missionario finaliter dejiciendo, vicario suo generali vel alii sacerdoti ad hoc ab ipso deputato committat, ut relationem causae ad dejectionem moventis in scriptis conficiat, cum expositione investigationis hucusque peractae, et circumstantiarum quae causam, vel ejusdem demonstrationem specialiter afficiant.

3° Locum, diem et horam opportunam ad conveniendum indicet per litteras ad singulos consiliarios missas.

4° Rectorem missionarium, de quo agitur, ad locum et diem constitutum ad Concilium habendum vocet per litteras; exponens, nisi prudentia vetet, causam ad dejectionem moventem per extensum; monensque ipsum rectorem ut responsum rationibus suffultum praeparet in scriptis, ad ea quae in causae expositione vel jam antea oretenus, vel nunc in scriptis relata sunt.

5° Convenientibus consiliariis tempore et loco praefinitis praecipiat Episcopus silentium servandum de iis quae in concilio audiantur; moneat quoque investigationem non esse processum judicialem, sed eo fine habitam, et eo modo faciendam, ut ad cognitionem veri quacumque ratione perveniatur, adeo ut unusquisque consiliarius, omnibus coram Deo perpensis, opinionem de veritate factorum quibus causa innititur, efformare quam accurate possit. Moneat etiam ne quid in investigatione fiat, quod aut ipsos, aut alios periculo damni aut gravaminis exponat, praesertim ne locus detur actioni libelli famosi, vel alii cuicumque processui, coram tribunali civili.

6° Relatio causae legatur coram Concilio ab Episcopi Officiali, qui etiam ad interpellationes respondebit a praeside vel ab aliis consiliariis per praesidem faciendas ad uberiorem rei notitiam assequendam.

7° Deinde in Concilium introducatur rector missionarius, qui responsum a se confectum leget et ad interpellationes similiter respondebit.

8° Tunc collatis consiliis, si duabus saltem ex tribus partibus consiliariorum satis constare de factis videatur, sententiam suam unusquisque consiliarius in scriptis det, rationibus quibus nititur expressis; conferantur sententiae; acta in Concilio ab Episcopi officiali redigantur, et a praeside in nomine concilii subscribantur, et simul cum sententiis singulorum in extenso ad Episcopum deferantur.

9° Quod si ulterior investigatio necessaria vel congrua videatur, eo ipso die, vel alio ad conveniendum a Concilio constituto, testes vocentur, quos opportunos Concilium judicaverit, audito etiam rectore missionario de iis quos ipse advocandos esse voluerit.

10° Examinentur seorsim testes, pro causa, a preside et ab aliis per praesidem, absente primum rectore missio-

nario, quantum fieri potest accurate, non adhibito juramento, sed, si non renuant ipsi, asserentibus testibus se paratos esse ad testimonium suum juramento confirmandum, si occasio daretur.

11° Consentientibus testibus et dirigente prudentia concilii, repetatur testimonium coram rectore missionario qui et ipse testes tunc interroget per praesidem.

12° Similiter examinentur testes contra causam.

13° Collatis tunc consiliis fiat ut supra N 8°

14° Quod si testes nolint aut nequeant Concilio assistere, aut eorum testimonium nondum satis luculentum negotium reddat, duo saltem ex consiliariis a Concilio deputentur, qui testes adeuntes, loca invisentes, vel, alio quocumque modo possint, lumen ad dubia solvenda requirentes, relationem suae investigationis, ad Concilium deferant, ut ita nulla via intentata relinquatur ad verum moraliter certo cognoscendum."

Additio facta decreto XVIII. Conc. Westmonasteriensis III.

"Qui ad supradictam Commissionem in Synodo Dioecesana nominati fuerint ad proximam Synodum Dioecesanam officium retineant; quando iterum confirmentur vel alii nominentur. Si vero interim morte vel renuntiatione alicujus ex numero deputatorum Commissio imminuta fuerit, Episcopus alium Consiliarium nominabit, servata proportione inter Capitulum et Clerum, quae in prima Synodo Provinciali commendata fuit."

APPENDIX X.

[*Ad. pag.* 89, *n.* 97.]

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII,

DIVINA PROVIDENTIA PAPAE IX. CONSTITUTIO QUA ECCLESIASTICAE CENSURAE LATAE SENTENTIAE LIMITANTUR.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Apostolicae Sedis moderationi convenit, quae salubriter veterum canonum auctoritate constituta sunt, sic retinere, ut, si temporum rerumque mutatio quidpiam esse temperandum prudenti dispensatione suadeat, Eadem Apostolica Sedes congruum supremae suae potestatis remedium ac providentiam impendat. Quamobrem cum animo nostro jampridem revolveremus, ecclesiasticas censuras quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae ad incolumitatem ac disciplinam ipsius Ecclesiae tutandam, effrenemque improborum licentiam coercendam et emendandam sancte per singulas aetates indictae ac promulgatae sunt, magnum ad numerum sensim excrevisse; quasdam etiam, temporibus moribusque mutatis, a fine atque causis, ob quas impositae fuerant, vel a pristina utilitate, atque opportunitate excidisse; eamque ob rem non infrequentes oriri sive in iis, quibus animarum cura commissa est, sive in ipsis fidelibus dubietates, anxietates, angoresque conscientiae; Nos ejusmodi incommodis

occurrere volentes, plenam earumdem recensionem fieri, Nobisque proponi jussimus, ut diligenti adhibita consideratione, statueremus, quasnam ex illis servare ac retinere oporteret, quas vero moderari aut abrogare congrueret. Ea igitur recensione peracta, ac Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus in negotiis Fidei Generalibus Inquisitoribus per universam Christianam Rempublicam deputatis in consilium adscitis, reque diu ac mature perpensa, motu proprio, certa scientia, matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine hac perpetuo valitura Constitutione decernimus, ut ex quibuscumque censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae hactenus impositae sunt, nonnisi illae, quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo, quo inserimus, robur exinde habeant; simul declarantes, easdem non modo ex veterum canonum auctoritate quatenus cum hac Nostra Constitutione conveniunt, verum etiam ex hac ipsa Constitutione Nostra, non secus ac si primum editae ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere.

Excommunicationes latae sententiae speciali modo Romano Pontifici Reservatae.

Itaque excommunicationi latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae subjacere declaramus :—

1. Omnes a Christiana fide apostatas, et omnes ac singulos haereticos, quocumque nomine censeantur, et cujuscumque sectae existant, eisque credentes, eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet illorum defensores.

2. Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros eorumdem apostatarum et haere-

ticorum haeresim propugnantes, nec non libros cujusvis auctoris per Apostolicas litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes.

3. Schismaticos et eos qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt, vel recedunt.

4. Omnes et singulos, cujuscumque status, gradus seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit.

5. Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicae Legatos, vel Nuncios, aut eos a suis Dioecesibus, Territoriis, Terris, seu Dominiis ejicientes, nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem.

6. Impedientes directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum saeculare ejusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem praestantes.

7. Cogentes sive directe, sive indirecte judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones: item edentes leges vel decreta contra libertatem aut jura Ecclesiae.

8. Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab ejusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta eorumque promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios laedentes, vel perterrefacientes.

9. Omnes falsarios litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis ac supplicationum gratiam vel justitiam con-

cernentium per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vice-Cancellarios seu Gerentes vices eorum aut de mandato Ejusdem Romani Pontificis signatarum: nec non falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vice-Cancellarii aut Gerentis vices praedictorum.

10. Absolventes complicem in peccato turpi etiam in mortis articulo, si alius Sacerdos licet non adprobatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem.

11. Usurpantes aut sequestrantes jurisdictionem, bona, redditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes.

12. Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios Civitates, Terras, loca aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam jurisdictionem in eis; nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes.

A quibus omnibus excommunicationibus huc usque recensitis absolutionem Romano Pontifici pro tempore speciali modo reservatam esse et reservari; et pro ea generalem concessionem absolvendi a casibus et censuris, sive excommunicationibus Romano Pontifici reservatis nullo pacto sufficere declaramus, revocatis insuper earumdem respectu quibuscumque indultis concessis sub quavis forma et quibusvis personis etiam Regularibus cujuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis et Instituti, etiam speciali mentione dignis et in quavis dignitate constitutis. Absolvere autem praesumentes sine debita facultate, etiam quovis praetextu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici reservatae innodatos se sciant, dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiae, si convaluerint.

Excommunicationes latae sententiae Romano Pontifici Reservatae.

Excommunicationi latae sententiae Romano Pontifici reservatae subjacere declaramus:

1. Docentes vel defendentes sive publice, sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae; item docentes vel defendentes tanquam licitam praxim inquirendi a poenitente nomen complicis prouti damnata est a Benedicto XIV. in Const. *Suprema,* 7 Julii 1745. *Ubi primum,* 2 Junii 1746. *Ad eradicandum,* 28 Septembris 1746.

2. Violentas manus, suadente diabolo, injicientes in Clericos, vel utriusque sexus Monachos, exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus jure vel privilegio permittitur, ut Episcopus aut alius absolvat.

3. Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem praebentes, nec non de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est, non prohibentes, cujuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.

4. Nomen dantes sectae *Massonicae,* aut *Carbonariae,* aut aliis ejusdem generis sectis quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam, seu clandestine machinantur, nec non iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes; earumve occultos coriphaeos ac duces non denunciantes, donec non denunciaverint.

5. Immunitatem asyli ecclesiastici violare jubentes aut ausu temerario violantes.

6. Violantes clausuram Monialium, cujuscumque generis aut conditionis sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes; itemque Moniales ab illa

exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V. in Constit. *Decori* praescriptam.

7. Mulieres violantes Regularium virorum clausuram, et Superiores aliosve eas admittentes.

8. Reos simoniae realis in beneficiis quibuscumque, eorumque complices.

9. Reos simoniae confidentialis in beneficiis quibuslibet, cujuscunque sint dignitatis.

10. Reos simoniae realis ob ingressum in Religionem.

11. Omnes qui quaestum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus excommunicationis censura plectuntur Constitutione S. Pii V. *Quam plenum,* 2 Januarii 1569.

12. Colligentes eleemosynas majoris pretii pro missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent.

13. Omnes qui excommunicatione mulctantur in Constitutionibus S. Pii V. *Admonet nos,* quarto Kalendas Aprilis 1567, Innocentii IX. *Quae ab hac Sede,* pridie nonas Novembris 1591, Clementis VIII. *Ad Romani Pontificis curam,* 26 Junii 1592, et Alexandri VII. *Inter ceteras,* nono Kalendas Novembris 1660, alienationem et infeudationem Civitatum et Locorum S. R. E. respicientibus.

14. Religiosos praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis Sacramentum extremae unctionis aut Eucharistiae per viaticum ministrare absque parochi licentia.

15. Extrahentes absque legitima venia reliquias ex Sacris Coemeteriis sive Catacumbis Urbis Romae ejusque territorii, eisque auxilium vel favorem praebentes.

16. Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem.

17. Clericos scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis et ipsos in officiis recipientes.

Excommunicationes latae Sententiae Episcopis sive Ordinariis Reservatae.

Excommunicationi latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae subjacere declaramus:

1. Clericos in Sacris constitutos vel Regulares aut Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes; nec non omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere preasumentes.

2. Procurantes abortum, effectu sequuto.

3. Litteris apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes.

Excommunicationes latae Sententiae nemini Reservatae.

Excommunicationi latae sententiae nemini reservatae subjacere declaramus:

1. Mandantes seu cogentes tradi Ecclesiasticae Sepulturae haereticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos.

2. Laedentes aut perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes, testes, aliosve ministros S. Officii, ejusve Sacri Tribunalis scripturas diripientes, aut comburentes, vel praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes.

3. Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis *Ambitiosae* De Reb. Ecc. non alienandis.

4. Negligentes sive culpabiliter omittentes denunciare infra mensem Confessarios sive Sacerdotes a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Praedecess. Nostris Gregorio XV. Constit. *Universi* 20 Augusti 1622, et Benedicto XIV. Constit. *Sacramentum poenitentaie* 1 Junii 1741.

Praeter hos hactenus recensitos, eos quoque quos Sacrosanctum Concilium Tridentinum, sive reservata summo Pontifici aut Ordinariis absolutione, sive absque ulla reservatione excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus : excepta anathematis poena in Decreto Sess. IV. *De editione et usu Sacrorum Librorum* constituta, cui illos tantum subjacere volumus, qui libros de rebus Sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt.

Suspensiones latae Sententiae Summo Pontifici reservatae.

1. Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum Beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis Capitula et Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum aliique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Praelatos de praedictis Ecclesiis seu Monasteriis apud eamdem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Litteras apostolicas de sua promotione.

2. Suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso jure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo beneficii, vel patrimonii cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.

3. Suspensionem per annum ab ordinum administratione ipso jure incurrunt Ordinantes alienum subditum etiam sub praetextu beneficii statim conferendi, aut jam collati, sed minime sufficientis, absque ejus Episcopi litteris dimissorialibus, vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii ejus loci litteris testimonialibus.

4. Suspensionem per annum a collatione ordinum ipso

jure incurrit, qui excepto casu legitimi privilegii, ordinem Sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.

5. Suspensionem perpetuam ab exercitio ordinum ipso jure incurrunt Religiosi ejecti, extra religionem degentes.

6. Suspensionem ab Ordine suscepto ipso jure incurrunt, qui eumdem ordinem recipere praesumpserunt ab excommunicato vel suspenso, vel interdicto nominatim denunciatis, aut ab haeretico vel schismatico notorio : eum vero qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.

7. Clerici saeculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque praevio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario postea quam in praedicto examine rejecti fuerint; nec non clerici pertinentes ad aliquem e sex Episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam dioecesim dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium; vel non praemissis ante Ordinem Sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana Sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso jure incurrunt: Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum.

Interdicta latae Sententiae Reservata.

1. Interdictum Romano Pontifici speciali modo reservatum ipso jure incurrunt Universitates, Collegia et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu

mandatis ejusdem Romani Pontificis pro tempore existentis ad universale futurum Concilium appellantia.

2. Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato Judice, vel a jure interdictis, aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica Sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu Ecclesiae ipso jure incurrunt, donec ad arbitrium ejus cujus sententiam contempserunt, competenter satisfecerint.

Denique quoscunque alios Sacrosanctum Concilium Tridentinum suspensos aut interdictos ipso jure esse decrevit, nos pari modo suspensioni vel interdicto eosdem obnoxios esse volumus et declaramus.

Quae vero censurae sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti Nostris, aut Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus, aut sacris canonibus praeter eas, quas recensuimus, latae sunt, atque hactenus in suo vigore perstiterunt sive pro R. Pontificis electione, sive pro interno regimine quorumcumque Ordinum et Institutorum Regularium, necnon quorumcumque Collegiorum, Congregationum, coetuum locorumque piorum cujuscumque nominis aut generis sint, eas omnes firmas esse, et in suo robore permanere volumus et declaramus.

Ceterum decernimus, in novis quibuscunque concessionibus ac privilegiis, quae ab Apostolica Sede concedi cuivis contigerit, nullo modo ac ratione intelligi unquam debere, aut posse comprehendi facultatem absolvendi a casibus, et censuris quibuslibet Romano Pontifici reservatis, nisi de iis formalis, explicita, ac individua mentio facta fuerit: quae vero privilegia aut facultates, sive a Praedecessoribus Nostris, sive etiam a Nobis cuilibet Coetui, Ordini, Congregationi, Societati, et Instituto, etiam regulari cujusvis speciei, etsi titulo peculiari praedito, atque etiam speciali mentione digno a quovis unquam tempore huc usque con-

cessae fuerint, ea omnia, easque omnes Nostra hac Constitutione revocatas, suppressas, et abolitas esse volumus, prout reapse revocamus, supprimimus, et abolemus, minime refragantibus aut obstantibus privilegiis quibuscunque, etiam specialibus comprehensis, vel non, in corpore juris, aut Apostolicis Constitutionibus, et quavis confirmatione Apostolica, vel immemorabili etiam consuetudine, aut alia quacunque firmitate roboratis, quibuslibet etiam formis ac tenoribus, et cum quibusvis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, quibus omnibus, quatenus opus sit, derogare intendimus, et derogamus.

Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam *Sess. XXIV. cap. VI. de reform.* in quibuscunque censuris Apostolicae Sedi hac Nostra Constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas eidem Apostolicae Sedi speciali modo reservatas declaravimus.

Decernentes has Litteras, atque omnia et singula, quae in eis constituta ac decreta sunt, omnesque et singulas, quae in eisdem factae sunt ex anterioribus Constitutionibus Praedecessorum Nostrorum, atque etiam Nostris, aut ex aliis sacris Canonibus quibuscunque, etiam Conciliorum Generalium, et ipsius Tridentini mutationes, derogationes, suppressiones atque abrogationes ratas et firmas, ac respective rata atque firma esse et fore, suosque plenarios et integros effectus obtinere debere, ac reapse obtinere; sicque et non aliter in praemissis per quoscunque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, ac Apostolicae Sedis Nuntios, ac quosvis alios quacunque praeeminentia, ac potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari ac definiri debere; et irritum atque inane esse ac fore quidquid super

his a quoquam quavis auctoritate, etiam praetextu cujuslibet privilegii, aut consuetudinis inductae vel inducendae, quam abusum esse declaramus, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus praemissis, aliisque quibuslibet ordinationibus, constitutionibus, privilegiis, etiam speciali et individua mentione dignis, nec non consuetudinibus quibusvis, etiam immemorabilibus, ceterisque contrariis quibuscunque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, Ordinationis, limitationis, suppressionis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Sexagesimo Nono, Quarto Idus Octobris Pontificatus nostri anno vigesimo quarto.

MARIUS CARD. MATTEI, Pro-Datarius.
N. CARD. PARACCIANI CLARELLI.
Visa de Curia
DOMINICUS BRUTI
I. Cugnoni.

LOCO ✠ PLUMBI.

APPENDIX XI.

[*Ad. pag.* 91, *n.* 107.]

DE PROBANDO STATU LIBERO EORUM QUI MATRIMONIUM CONTRAHERE VOLUNT.

I.

INSTRUCTIO

PRO EXAMINE ILLORUM TESTIUM, QUI INDUCUNTUR PRO CONTRAHENDIS MATRIMONIIS, TAM IN CURIA EMINENTISSIMI ET REVERENDISSIMI D. CARDINALIS, URBIS VICARII, QUAM IN ALIIS CURIIS CAETERORUM ORDINARIORUM.

In primis: Testis moneatur de gravitate juramenti, in hoc praesertim negotio pertimescendi, in quo divina simul et humana majestas laeditur, ob rei, de qua tractatur, importantiam, et gravitatem; et quod imminet poena triremium et fustigationis deponenti falsum.

II. Interrogetur de nomine, cognomine, patria, aetate, exercitio et habitatione.

III. An sit civis, vel exterus, et quatenus sit exterus, a quanto tempore est in loco, in quo Testis ipse deponit.

IV. An ad examen accesserit sponte, vel requisitus; si dixerit, accessisse sponte a nemine requisitus dimittatur, quia praesumitur mendax.

Si vero dixerit accessisse requisitus; interrogetur a quo, vel a quibus, ubi, quando, quomodo, coram quibus, et quoties fuerit requisitus, et an sciat adesse aliquod impedimentum inter contrahere volentes.

V. Interrogetur, an sibi pro hoc testimonio ferendo fuerit

aliquid datum, promissum, remissum, vel oblatum a contrahere volentibus, vel ab alio ipsorum nomine.

VI. Interrogetur, an cognoscat ipsos contrahere volentes, et a quanto tempore, in quo loco, qua occasione, et cujus qualitatis, vel conditionis existant.

Si responderit negative, Testis dimittatur; si vero affirmative.

VII. Interrogetur, an contrahere volentes sint cives, vel exteri; si responderit esse exteros, supersedeatur in licentia contrahendi, donec per litteras Ordinarii ipsorum contrahere volentium, doceatur de eorum libero statu, de eo tempore, quo permanserunt in sua civitate, vel dioecesi. Ad probandum vero eorumdem contrahere volentium statum liberum pro reliquo temporis spatio, scilicet usque ad tempus, quo volunt contrahere, admittantur testes idonei, qui legitime, et concludenter deponant statum liberum contrahere volentium, et reddant sufficientem rationem causae eorum scientiae, absque eo quod teneantur deferre attestationes Ordinariorum locorum, in quibus contrahere volentes moram traxerunt.

Si vero responderit, contrahere volentes esse cives.

IX. Interrogetur, sub qua parochia hactenus contrahere volentes habitarunt, vel habitent de praesenti.

Item an ipse Testis sciat, aliquem ex praedictis contrahere volentibus quandoque habuisse uxorem, vel maritum.

Si responderit affirmative, non procedatur ad licentiam, nisi producantur authenticae, et legales attestationes, vel testes fide digni, et verisimiliter informati de obitu conjugis defuncti.

Si vero Testis responderit, non habuisse uxorem vel maritum.

X. Interrogetur de causa scientiae, et an sit possibile, quod aliquis ex illis habuerit uxorem vel maritum, et quod ipse Testis nesciat.

Si responderit affirmative, supersedeatur, nisi ex aliis testibus probetur concludenter, non habuisse uxorem vel maritum.

Si vero responderit negative.

XI. Interrogetur de causa scientiae, ex qua deinde Judex colligere poterit, an Testi sit danda fides.

Si responderit, contrahere volentes habuisse uxorem vel maritum, sed esse mortuos.

XII. Interrogetur de loco, et tempore, quo sunt mortui, et quomodo ipse Testis sciat, fuisse conjuges, et nunc esse mortuos.

Et si respondeat, mortuos fuisse in aliquo hospitali, vel vidisse sepeliri in certa ecclesia, vel occasione militiae sepultos fuisse a militibus, non detur licentia contrahendi, nisi prius recepto testimonio authentico a Rectore hospitalis, in quo praedicti decesserunt, vel a Rectore Ecclesiae, in qua humata fuerunt eorum cadavera, vel, si fieri potest, a Duce illius cohortis in qua descriptus erat miles.

Si tamen hujusmodi testimonia haberi non possunt, Sacra Congregatio non intendit excludere alias probationes, quae de jure communi possunt admitti, dummodo sint legitimae et sufficientes.

XIII. Interrogetur, an post mortem dicti conjugis defuncti, aliquis ex praedictis contrahere volentibus transierit ad secunda vota.

Si responderit negative.

XIV. Interrogetur, an esse possit, quod aliquis ex illis transierit ad secunda vota, absque eo, quod ipse Testis sciat.

Si responderit affirmative, supersedeatur in licentia, donec producantur Testes, per quos negativa coarctetur concludenter.

Si vero negative.

XV. Interrogetur de causa scientiae, qua perpensa, Judex poterit judicare, an sit concedenda licentia, vel ne.

Si contrahentes sunt vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi, nisi doceant per fides ordinariorum suorum, esse liberos, et in aliis servata forma Conc. Trid. *in cap. Multi, Sess. XXIV.*

Fides aliaque documenta, quae producuntur de partibus, non admittantur, nisi sint munita sigillo et legalitate Episcopi ordinarii, et recognita saltem per Testes, qui habeant notam manum, et sigillum, et attente consideretur, quod fides, seu testimonia bene, et concludenter identificent personas, de quibus agitur.

Pro testibus in hac materia recipiantur magis consanguinei, quam extranei, quia praesumuntur melius informati, et cives magis quam exteri, nec admittantur homines vagi et milites, nisi data causa, et maturo consilio; et Notarius exacte describat personam Testis; quem si cognoscit, utatur clausula, mihi bene cognitus; *sin minus, examen non recipiat, nisi una cum persona Testis aliqua alia compareat cognita Notario, et quae attestetur de nomine, et cognomine ipsius Testis, necnon de idoneitate ejusdem ad testimonium ferendum. Et hujusmodi examinibus debet interesse in Urbe, ultra Notarium, officialis specialiter deputandus ab Eminentissimo Vicario; et extra Urbem, Vicarius Episcopi, vel aliqua alia persona insignis, et idonea, ab Episcopo specialiter deputanda, alias puniatur Notarius arbitrio Sacrae Congregationis, et Ordinarius non permittat fieri publicationes.*

Ordinarii praecipiant omnibus, et singulis Parochis, in eorum Dioecesibus existentibus, ut pro matrimoniis cum exteris contrahendis non faciant publicationes in eorum Ecclesiis, nisi certiorato Ordinario, a quo, vel ejus generali Vicario prius teneantur authenticam fidem reportare, quod pro tali matrimonio fuerunt examinati Testes, in eorum tribunali qui probant statum liberum contrahere volentium, &c., contravenientes autem severe punientur.

II.

SUPREMAE SACRAE CONGREGATIONIS

INSTRUCTIO AD PROBANDUM OBITUM ALICUJUS CONJUGIS.

Matrimonii vinculo duos tantummodo "Christo ita "docente, copulari, et conjungi possé, alterutro vero con- "juge vita functo, secundas, imo et ulteriores nuptias "licitas esse, dogmatica Ecclesiae Catholicae doctrina est."

Verum ad secundas, et ulteriores nuptias quod attinet, cum de re agatur, quae difficultatibus, ac fraudibus haud raro est obnoxia, hinc Sancta Sedes sedulo curavit modo Constitutionibus generalibus, saepius autem responsis in casibus particularibus datis, ut libertas novas nuptias ineundi ita cuique salva esset, ut predicta matrimonii unitas in discrimen non adduceretur.

Inde constituta Sacrorum Canonum, quibus, ut quis possit licite ad alia vota transire, exigitur quod de morte conjugis certo constet, uti cap. *Dominus de secundis nuptiis*, vel quod de ipsa morte recipiatur *certum nuncium* uti Cap. *In praesentia, De sponsalibus, et matrimoniis.* Inde etiam ea quae explanatius traduntur in Instructione "*Cum* "*alias*," 21 *Augusti* 1670, a Clemente X. sancita, et in Bullario Romano inserta super examine Testium pro matrimoniis contrahendis in Curia Emi Vicarii Urbis, et coeterorum Ordinariorum. Maxime vero quae propius ad rem facientia ibi habentur NN. 12 et 13.

Et haec quidem abunde sufficerent si in ejusmodi causis peragendis, omnimoda, et absoluta certitudo de alterius Conjugis obitu haberi semper posset; sed cum id non sinant casuum propemodum infinitae vices (quod sapienter animadversum est in laudata Instructione his verbis: "*Si* "*tamen hujusmodi testimonia haberi non possunt, Sacra* "*Congregatio non intendit excludere alias probationes, quae*

de jure communi possunt admitti, dummodo ligitimae sint, et sufficientes) sequitur, quod stantibus licet principiis generalibus praestitutis, haud raro casus eveniunt, in quibus Ecclesiasticorum Praesidum judicia haerere solent in vera justaque probatione dignoscenda, ac statuenda, imo pro summa illa facilitate, quae aetate nostra facta est, remotissimas quasque regiones adeundi in omnes fere orbis partes homines divagentur, ejusmodi casuum multitudo adeo succrevit, ut frequentissimi hac de re ad Supremam hanc Congregationem habeantur recursus, non sine porro partium incommodo, quibus inter informationes, atque instructiones, quas pro re nata, ut aiunt, peti, mittique necesse est, plurimum defluit temporis, quin possint ad optata vota convolare.

Quapropter Sacra eadem Congregatio hujusmodi necessitatibus occurrere percupiens, simulque perpendens in dissitis praesertim missionum locis, Ecclesiasticos praesides opportunis destitui subsidiis, quibus ex gravibus difficultatibus extricare se valeant, e re esse censuit, uberiorem edere Instructionem, in qua, iis, quae jam tradita sunt, nullo pacto abrogatis, regulae indigitentur, quas in ejusmodi casibus haec ipsa S. Congregatio sequi solet, ut illarum ope, vel absque necessitate recursus ad Sanctam Sedem, possint judicia ferri, vel certe, si recurrendum sit, status quaestionis ita dilucide exponatur, ut impediri longiori mora sententia non debeat. Itaque

1. Cum de conjugis morte quaestio instituitur, notandum primo loco, quod argumentum a sola ipsius absentia quantacumque (licet a legibus civilibus fere ubique admittatur) a Sacris Canonibus minime sufficiens ad justam probationem habetur. Unde sa. me. Pius VI. ad Archiepiscopum Pragensem die 11 Julii 1789 rescripsit, solam conjugis absentiam, atque omnimodum ejusdem silentium *satis argumentum non esse ad mortem comprobandam*, ne

tum quidem cum edicto regio conjux absens evocatus (idemque porro dicendum est, si per publicas ephemerides id factum sit) nullum suimet indicium dederit. *Quod enim non comparuerit,* idem ait Pontifex, *non magis mors in causa esse potuit, quam ejus contumacia.*

2. Hinc ad praescriptum eorumdem sacrorum Canonum, documentum authenticum obitus diligenti studio exquiri omnino debet; exaratum scilicet ex regestis Paroeciae, vel Xenodochii, vel militiae, vel etiam, si haberi nequeat ab auctoritate ecclesiastica, a Gubernio civili loci in quo, ut supponitur, persona obierit.

3. Porro quandoque hoc documentum haberi nequit; quo casu testium depositionibus supplendum erit. Testes vero duo saltem esse debent, jurati, fide digni, et qui de facto proprio deponant, defunctum cognoverint, ac sint inter se concordes quoad locum, et causam obitus, aliasque substantiales circumstantias. Qui insuper, si defuncti propinqui sint, aut socii itineris, industriae, vel etiam militiae, eo magis plurimi faciendum erit illorum testimonium.

4. Interdum unus tantum testis examinandus reperitur, et licet ab omni jure testimonium unius ad plene probandum non admittatur, attamen ne conjux alias nuptias inire peroptans, vitam coelibem agere cogatur, etiam unius testimonium absolute non respuit Suprema Congregatio in dirimendis hujusmodi casibus, dummodo ille testis recensitis conditionibus sit praeditus, nulli exceptioni obnoxius, ac praeterea ejus depositio aliis, gravibusque adminiculis fulciatur; sique alia extrinseca adminicula colligi omnino nequeant, hoc tamen certum sit, nihil in ejus testimonio reperiri, quod non sit congruum, atque omnino verisimile.

5. Contingit etiam ut Testes omnimoda fide digni testificentur se tempore non suspecto mortem conjugis

ex aliorum attestatione audivisse, isti autem vel quia absentes, vel quia obierint, vel aliam ob quamcumque rationabilem causam examinari nequeunt; tunc dicta ex alieno ore, quatenus omnibus aliis in casu concurrentibus circumstantiis, aut saltem urgentibus respondeant, satis esse censentur pro sequtae mortis prudenti judicio.

6. Verum, haud semel experientia compertum habetur, quod nec unus quidem reperiatur Testis qualis supra adstruitur. Hoc in casu probatio obitus ex conjecturis, praesumptionibus, indiciis, et adjunctis quibuscumque, sedula certe et admodum cauta investigatione curanda erit, ita nimirum, ut pluribus hinc inde collectis, eorumque natura perpensa, prout scilicet urgentiora, vel leviora sunt, seu propriore, vel remotiore nexu cum veritate mortis conjunguntur, inde prudentis viri judicium ad eamdem mortem affirmandam probabilitate maxima, seu morali certitudine promoveri possit. Quapropter quandonam in singulis casibus habeatur ex hujusmodi conjecturis simul conjunctis justa probatio, id prudenti relinquendum est judicis arbitrio; heic tamen non abs re erit plures indicare fontes ex quibus illae sive urgentiores, sive etiam leviores colligi, et haberi possint.

7. Itaque in primis illae praesumptiones investigandae erunt quae personam ipsius asserti defuncti respiciunt, quaeque profecto facile haberi poterunt a conjunctis, amicis, vicinis, et quoquo modo notis utriusque conjugis. In quorum examine requiratur *ex. gr.*

An ille, de cujus obitu est sermo, bonis moribus imbutus esset; pie, religioseque viveret; uxoremque diligeret; nullam sese occultandi causam haberet; utrum bona stabilia possideret, vel alia a suis propinquis, aut aliunde sperare posset.

An discesserit annuentibus uxore, et conjunctis: quae tunc ejus aetas, et valetudo esset.

An aliquando, et quo loco scripserit, et num suam voluntatem quamprimum redeundi aperuerit, aliaque hujus generis indicia colligantur.

Alia ex rerum adjunctis pro varia absentiae causa colligi judicia sic poterunt.

Si ob militiam abierit, a duce militum requiratur quid de eo sciat; utrum alicui pugnae interfuerit; utrum ab hostibus fuerit captus; num castra deseruerit, aut destinationes periculosas habuerit, *etc.*

Si negotiationis causa iter susceperit inquiratur, utrum tempore itineris gravia pericula fuerint ipsi superanda: num solus profectus fuerit, vel pluribus comitatus: utrum in regionem ad quam se contulit supervenerint seditiones, bella, fames, et pestilentiae, *etc. etc.*

Si maritimum iter fuerit aggressus sedula investigatio fiat a quo portu discesserit; quinam fuerint itineris socii; quo se contulerit; quod nomen navis quam conscendit; quis ejusdem navis gubernator; an naufragium fecerit; an societas quae navis cautionem forsan dedit, pretium ejus solverit; aliaeque circumstantiae, si quae sint, diligenter perpendantur.

8. Fama quoque aliis adjuta adminiculis argumentum de obitu constituit, hisce tamen conditionibus, nimirum; quod a duobus saltem testibus fide dignis, et juratis comprobetur; qui deponant de rationabili causa ipsius famae; an eam acceperint a majori, et saniori parte populi, et an ipsi de eadem fama recte sentiant; nec sit dubium illam fuisse concitatam ab illis, in quorum commodum inquiritur.

9. Tandem, si opus fuerit, praetereunda non erit investigatio per publicas ephemerides, datis Directori omnibus necessariis personae indiciis, nisi ob speciales circumstantias saniori, ac prudentiori consilio aliter censeatur.

10. Haec omnia pro opportunitate casuum Sacra haec

Congregatio diligenter expendere solet; cumque de re gravissima agatur, cunctis aequa lance libratis, atque insuper auditis plurium Theologorum, et juris prudentum suffragiis, denique suum judicium pronunciat, an de tali obitu satis constet, et nihil obstet quominus petenti transitus ad alias nuptias concedi possit.

11. Ex his omnibus Ecclesiastici Praesides certam desumere possunt normam quam in hujusmodi judiciis sequantur. Quod si non obstantibus regulis hucusque notatis res adhuc incerta, et implexa illis videatur, ad Sanctam Sedem recurrere debebunt, actis omnibus cum ipso recursu transmissis, aut saltem diligenter expositis.

APPENDIX XII.

[*Ad. pag.* 98.—*De Episcopis.*]

DE EPISCOPIS IN HIBERNIA SELIGENDIS.

I.

DECRETUM

SACRAE CONGREGATIONIS GENERALIS DE PROPAGANDA FIDE, HABITAE DIE PRIMA JUNII ANNO 1829, DE EPISCOPIS IN HIBERNIA SELIGENDIS.

Cum ad gravissimum Electionis Hiberniae Episcoporum negotium rite sancteque absolvendum, certam aliquam methodum ubique in eo regno servandam statuere in primis opportunum esse Sacra Congregatio intellexerit, qua fieret, ut Sedes Apostolica exploratam notitiam habere possit meritorum Sacerdotum pro quibus commendationes afferuntur, ut ad aliquem Hiberniae Episcopatum eligantur, eadem Sacra Congregatio, postquam diu multumque de ea re definienda cogitavit, in generali tandem conventu die prima Junii anno 1829, referente Eminentissimo et Reverendissimo D. D. Mauro S. R. E. Cardinali Cappellari, Sacrae Congregationis Præfecto, censuit ac decrevit, methodum in toto regno Hiberniae super ea re servandam in posterum, esse debere eam quae hic describitur.

Sede itaque Episcopali, sive per antistitis obitum, translationem, aliamve ob causam in posterum vacante, Vicarius, juxta formam a sacris canonibus praescriptam, constituatur, qui dioecesi viduatae, durante vacatione, praesit. Metropolitanus Provinciae, ubi vacatio contigerit, simul atque de vacatione, et Vicarii electione certior factus fuerit, literis mandatoriis Vicario edicat, ut in diem vigesi-

mum a dato edicto, in unum convocet omnes, ad quos pertinebit Summo Pontifici commendare tres dignos ecclesiastici ordinis viros, quorum unus a Summo Pontifice Dioecesi vacanti praeficiatur. Qui sint ii qui convocari debent, qua in forma convocandi sint, habetur ex sequenti expositione.

Qui in Hibernia nuncupantur Parochi, scilicet clerici ad ordinem Sacerdotalem evecti, censurarum immunes, qui parochiae, seu parochiarum unitarum, actuali ac pacifica possessione gaudeant, ad comitia convocandi sunt. Ubi vero adest capitulum, convocabuntur cum Parochis etiam Canonici. Vicarius, edicto Metropolitani accepto, intra octo dies singulos presbyteros supra designatos, litteris scriptis admonebit ut loco quodam opportuno, in eadem monitione nominatim exprimendo adsint die in edicto Metropolitani statuto, ad tractandum de negotio ibidem descripto. Metropolitanus ipse, vel unus de Suffraganeis ejus episcopis ab ipso delegatus, comitiis praesidebit, et nulla prorsus, et invalida habenda sunt ibidem acta, et statuta, non servata forma supra definita, sive in convocando, sive in moderando conventu. Parochis ceterisque de quibus supra, die et loco statutis, mane in unum congregatis, Missa solemnis de Spiritu Sancto celebretur: Missaque finita, Praeses super sedile in medio ecclesiae ascendet, omnibusque, quorum nihil interest, exire jussis, foribusque ecclesiae clausis, Vicarius catalogum nominum omnium Parochorum et Canonicorum, si adsit ibi capitulum, dioecesis vacantis Praesidi tradet, qui eorumdem nomina, clara ac distincta voce, a Secretario suo recitari mandabit, et unicuique eorum, postquam nomini responderit, sedem propriam assignabit. Si unus aut plures Parochi absint, praeses a Vicario probationem exquiret, absentibus sine fraude edictum fuisse, et tali probatione admissa, absentia cujusvis numeri, modo quarta pars

totius Parochorum numeri adsit, nihil obstabit, quominus rata et valida sint, quae in comitiis gerantur. Idem servandum erit circa Canonicorum numerum, in dioecesi in qua Capitulum adest. Parochis ac Canonicis, qui Vicarii monitioni, sive propter adversam valetudinem, aliamve ob causam parere non valeant, liberum erit, suffragia sua propria ipsorum manu scripta, involucro sigillato inclusa, et extrinsecus ad Praesidem directa, cuivis alii Parocho vel Canonico ejusdem Dioecesis confidere; et suffragio sic habito, et probato, eadem inerit vis, ac si Parochus aut Canonicus ipse praesens adesset; modo literae certificatoriae de adversa ejus valetudine, a duobus artis medicinae peritis subscriptae, ad Praesidem transmittantur. Insuper parochus iste vel Canonicus priusquam suffragium, modo supra descripto ferat, eamdem declarationem emittet, quam ceteri Parochi ac Canonici inter comitia emittere coram praeside debebunt; ejusque declarationis coram duobus Parochis vel Canonicis emissae probatio, in medium erit proferenda coram Praeside, antequam suffragium admittatur. Comitiis ita compositis, ac Praeside tractanda proponente duo Scrutatores juxta consuetas canonum formas, eligantur. Dein Suffragatores tactis simul manu pectoribus, coram Deo pro se quisque affirment, se neque gratia, neque favore inductos ei suffragaturos, quem dignum judicent, qui Dioecesi vacanti praeficiatur. Postea suffragio in urnam immisso, singuli ad propriam sedem recedent.

His peractis, clara altaque voce a Scrutatoribus ad Praesidem, et a Praeside ad conventum, renuntianda sunt nomina trium eorum Sacerdotum, in quos major Suffragiorum numerus convenerit. Tunc Praeses, narrationem authenticam in scriptis redactam, parari coram comitiis, ejusdemque duo exemplaria a se ipso et secretario atque scrutatoribus subsignanda, exscribi curabit. Ex istis ex-

emplaribus alterum Vicario tradendum, qui idem ad Sedem Apostolicam transmittat; alterum vero ad Metropolitanum, cujus munus erit idem ad Suffraganeos suos Episcopos in unum congregatos referre. Quaecumque jura, privilegia, et munera supra recensentur tanquam Praesidi conventus propria, eadem, Sede Metropolitana vacante, Seniori Provinciae Suffraganeo communicari volumus.

Episcopis Provinciae, Praeside Metropolitano, aut ipsius defectu Seniore Provinciae Suffraganeo in unum congregatis, et narratione authentica supra memorata coram ipsis prolata, de eadem coram Deo judicium sententiamque ferent. Praeses Episcoporum Suffraganeorum sententiam de meritis trium Sacerdotum, qui sedi Apostolicae commendantur, literis consignatam, uniuscujusque Episcopi et Praesidis manu subscriptam, sigilloque munitam, ad Sedem Apostolicam transmittet. Semel peracta commendatione, si Episcopi judicaverint tres illos commendatos minus dignos esse, quorum unus ad Episcopatum promoveatur, tunc quin detur novae commendationi locus, Summus Pontifex pro sua sapientia, viduatae ecclesiae providebit.

Si agatur de Episcopo Coadjutore, cum jure successionis cuivis Episcopo assignando, eadem, quae, sede vacante, commendandi forma servanda est, cauto tamen varia privilegia, jura et munera Metropolitano, aut Seniori Episcopi Suffraganeo jam attributa, ad Archiepiscopum, aut Episcopum cui coadjutor assignandus est, unice pertinere, illaeso tamen servato jure Metropolitani, quando Suffraganei ejus Episcopi ad ferendum suffragium convenerint. Tandem quicumque Sedis Apostolicae approbationi commendentur, cives sint indigenae Hiberniae, Serenissimo Imperii Britannici Regi fidelitate incorrupta obstricti, morum integritate, pietate, doctrina, ceterisque quae Episcopum decent, dotibus insigniti.

Haec sunt, quae in commendandis Sedi Apostolicae Sa-

cerdotibus pro episcoporum Hiberniae electione, Sacra Congregatio servanda praescripsit. Ea vero decernens, significari omnibus voluit, in documentis de hac re pertractantibus, ad Sanctam Sedem transmittendis, nihil inveniri debere, quod electionem, postulationem, nominationem innuat, sed simplicem commendationem: memorata praeterea documenta esse debere jussit, in forma supplicis libelli ita concepti, ut inde pateat nullam in Sanctam Sedem inferri obligationem eligendi unum ex commendatis.

Declaravit denique Sacra Congregatio, salvam semper atque illaesam manere debere, Sedis Apostolicae libertatem in eligendis Episcopis, ita ut commendationes, lumen tantum, et cognitionem Sacrae Congregationi, nunquam tamen obligationem sint allaturae.

Datum Romae ex Aedibus dic. Sac. Congregationis die 17 Octobris, 1829.

Gratis sine ulla omnino solutione quocumque titulo.

D. M. Card. Cappellari,
Praefectus.

C. Castracane, *Secretarius.*

II.

DE EPISCOPIS IN HIBERNIA SELIGENDIS.

Illustrissime ac Reverendissime Domine—

Initum a Sacra Congregatione consilium ut certam methodum in regno Hiberniae servandam decerneret circa sacerdotes commendandos Apostolicae Sedi quando agitur de episcoporum electione in eo totum versatum est ut memorata methodo accurate servata Apostolica Sedes explora-

tam notitiam habere possit meritorum sacerdotum pro quibus commendationes afferuntur. Quare Sacra Congregatio in decreto quod die prima Junii anno 1829 ea de re factum fuerat ac die 17 Octobris ejusdem anni promulgatum est, declaravit mentem suam esse ut commendationes illae lumen tantum ac cognitionem sibi compararent circa eos inter quos Apostolica Sedes episcopos est electura. Voluit quidem diocesanum clerum consuli atque ejusdem opinionem circa sacerdotes commendandos per secreta suffragia requiri. Id autem ea tantum de causa factum est, ut sanctae Sedi constaret quinam praecipue sacerdotes aestimationem obtineant cleri dioecesani, et tale testimonium consequantur ex quo intelligi posset eos apud diocesanum clerum ad episcopatum consequendum idoneos censeri. Hoc vero unico scrutinio fieri posse manifestum est, et revera decreti superius memorati contextus hic est, ut in uno tantum scrutinio res peragatur atque ex eo scrutinio constet quinam sint *tres sacerdotes in quos major suffragiorum numerus convenerit.*

Ad Sacrae Congregationis notitiam nuper pervenit in aliquibus Hiberniae dioecesibus hoc obtinuisse ut in conventibus qui habentur a clero diocesano ad sacerdotes sanctae Sedi commendandos ex quibus episcopus aliquis eligatur non unum sed tria fiant: intelligens Sacra Congregatio hinc evenire posse ut non tres praestantiores ex clero, sed unus revera commendetur atque ei duo alii veluti ad formam tantum adjungantur meritis omnino inferiores; cupiens praeterea eadem Sacra Congregatio ubique in Hibernia eamdem methodum circa ejusmodi commendationes servari scribendum judicavit Amplitudini Tuae hanc epistolam caeteris Archiepiscopis communicandam ut in dioecesibus omnibus Hiberniae constet unicum scrutinium in conventibus cleri peragendum esse ad tres sacerdotes sanctae Sedi commendandos antequam ipsa deveniat ad episcopi alicujus

Hiberniae dioecesis electionem, et hunc verum decreti diei 1 Junii 1829 sensum esse. Precor Deum interea ut amplitudinem Tuam diu sospitem ac felicem servet.

Romae ex aed. S. C. de Prop. Fide, die 25 Aprilis, 1835,

Amplitudinis tuae

Ad Officia Paratissimus,

J. Ch. Card. Fransonius, *Praef.*

A. Maius, *Secretarius.*

R. P. D. Danieli Murray,
Archiepiscopo Dublinensi,
Dublinum.

P.S.—In Decreto recentiori S. Congregationis de Prop. Fide statutum est ut conventus Episcoporum provinciae qui sententiam dicere debent de meritis trium sacerdotum a clero selectorum teneatur decem diebus post conventum cleri ipsius.

APPENDIX XIII.

[*Ad. pag.* 101, *n.* 143.]

DE SOLEMNITATIBUS SYNODALIBUS.

Cum Archiepiscopi et Episcopi Hiberniae in concilio Plenario Maynutiano congregati, eo animo, ut Synodos sive Dioecesanas sive Provinciales statis temporibus, ut par est, in posterum celebrare faciliori modo possint, a S. Sede demisse flagitaverint, ut ipsis eosdem conventus omissis nonnullis ex debitis solemnitatibus inire liceat; SSm̃us Dominus Noster Pius Divina Providentia PP. IX., referente me infrascripto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Pro-Secretario in audientia 6 Augusti c. an. praehabita sententia Em̃orum PP. ejusdem S. Consilii, ac perpensis peculiaribus Ecclesiarum in memorato Regno circumstantiis, petitam facultatem ad decennium benigne impertiri dignatus est, ita tamen ut Pontificalis Romani, ac Caeremonialis Episcoporum praescriptiones saltem in substantialibus serventur.

Contrariis quibuscumque haud obstantibus.

Datum Romae ex Aed. S. Congregationis de Propaganda Fide die 1ª Septembris 1876.

ALEXANDER CARD. FRANCHI, *Praef.*

J. B. AGNOZZI, *P. Secret.*

LOC. ✠ SIG.

APPENDIX XIV.

[*Ad. pag.* 101, *n.* 145.]

DECRETUM

DE VISITATIONE SS. LIMINUM.

Cum Episcopi Hiberniae juxta Constitutionem sa. me. Sixti V. quae incipit *Romanus Pontifex* diei 20 Decembris 1585 sacra Limina Apostolorum visitare quarto quoque anno adstringerentur S. Concilii Congregatio, varias praedicti Regni calamitates commiserata, annuente f. rec. Urbano PP. VIII. ipsis indulserat, ut eamdem visitationem singulis semel decenniis duntaxat explere possent. Ast immutatis in Hibernia rerum adjunctis, atque insimul cupiens SSm̃us Dñus Noster Pius Dña Prov. PP. IX. laudatos Sacrorum antistitum saepius invisere, ut planius cognito Ecclesiarum ipsis commissarum statu, earum necessitatibus promptius occurrere valeat, memoratum indultum moderari in Dño censuit.

Referente itaque infrascripto S. Congis. de Prop. Fide pro-Secretario, Sanctitas Sua mandare dignata est in Aud. 6 Augusti ut Hibernenses Praesules singulis quinquenniis sacra Limina adire, ac relationem super statu earum dioecesium S. Sedi exhibere in posterum teneantur, contrariis quibuscumque haud obstantibus. Qua de re praesens Decretum eadem Sanctitas Sua expediri jussit.

Datum Romae ex Aed. S. Congregationis de Prop. Fide, Die 1 Septembris 1876.

ALEX. CARD. FRANCHI, *Praef.*

LOC. ✠ SIG. J. B. AGNOZZI, *P. Secret.*

T

APPENDIX XV.

[*Ad. pag.* 101, *n.* 145.]

QUAESTIONES
PRO RELATIONE AD S. CONGREG. DE PROPAGANDA FIDE.

1. Exprimantur nomen, aetas, patria Episcopi, et etiam institutum, si sit Regularis.
2. Amplitudo, et qualitas Dioecesis.
3. In qua Provincia sit, vel quot Provincias contineat.
4. Si Ecclesia sit Archiepiscopalis, quot, et quales habeat Suffraganeos; si vero Episcopalis, cujus Archiepiscopi sit Suffraganea.
5. An habeat Cathedralem, et propriam residentiam, et in qua Civitate.
6. An Episcopus habeat facultates speciales a S. Sede, et quas.
7. An habeat reditus proprios, quot, et in quo consistunt.
8. Enumerentur loca Dioecesis, et eorum respective distantia.
9. Quando Visitatio Dioecesis fuerit peracta, num ad tramites praescriptionum canonicarum.
10. Quando Prov. ac dioec. Synodi fuerint habitae.
11. An pro exercitio jurisdictionis aliqua inferatur molestia ab Episcopis finitimis.

12. An habeat Capitulum, et ex quot Canonicis constet.

13. An adsint Praebendae, et quae.

14. Quale servitium praestent Canonici Cathedrali; et an etiam fungantur munere Parochi in locis Dioecesis.

15. An resideant intra fines Parochiae.

16. An se immisceant in regimine Ecclesiae, et impediant liberam jurisdictionem Episcopi.

17. An habeat Seminarium, et ubi: quot Juvenes ibidem alantur, et quibus studiis vacent.

18. Num Concilii Trid. regulae circa Seminaria serventur.

19. An ibi adsint Parochi, vel tantummodo simplices Missionarii.

20. An Parochi sint perpetui, vel ad nutum amovibiles, et an Missam celebrent festis diebus pro populo.

21. An eligantur ab Episcopo.

22. Quot sint Parochiae: an in eis servetur Sacrosancta Eucharistia, et cum qua decentia.

23. An habeant fines certos, et propriam Ecclesiam: et quot Capellae inveniantur in districtu uniuscujusque Parochiae.

24. An aliquae Parochiae sint addictae Ordinibus Regularibus, et quibus.

25. An Parochi habeant Sacerdotes, qui eos adjuvent in cura animarum.

26. Exprimatur numerus, et qualitas Catholicorum in singulis quibusque locis degentium.

27. An sint et quo numero scholae catholicae, et quot in iis instituantur.

28. An adsit Doctrina Christiana in lingua vernacula expurgata ab omni errore, et quatenus negative.

29. An sint et quo numero scholae acatholicorum et num catholici et quo numero illas adeant.

30. Exprimatur numerus Sacerdotum indigenarum, et exterorum.

31. Eorum patria, mores, munera, in quibus se exercent, et cujus utilitatis sint pro servitio Ecclesiae.

32. An hujusmodi Sacerdotes facultates habeant a Sede Apostolica, et cujus expensis vivant.

33. An inter istos inveniantur Alumni Sacr. Congregationis de Propaganda Fide: quinam sint: et an satisfaciant muneri suo.

34. Exprimantur etiam nomen, aetas, et qualitates Sacerdotum indigenarum, qui sunt extra Dioecesim: tum etiam adnotentur loca, in quibus morantur; quid ibi peragant; et an ex aliquo peculiari titulo teneantur inservire propriae Ecclesiae.

35. An sint etiam Clerici, et quot: quomodo, et ad quem titulum ordinentur; ubi resideant; et quid ab illis exigatur, ut ad Sacros Ordines promoveri possint.

36. An adsint Missionarii Regulares, quot, cujus Ordinis, et cujus Regionis.

37. An cuilibet Ordini sint assignati certi Districtus, et qua auctoritate.

38. Ubi resideant, quibus Superioribus subsint, et quot habeant domos.

39. An habeant Conventus formatos, vel duntaxat Hospitia, et in iis servetur Clausura.

40. An in communi vivant, et cum regulari observantia, vel habitent soli, et in domibus privatis cum saecularibus, et praecipue cum mulieribus.

41. In quo habitu incedant.

42. An admittant ad habitum et professionem sui Ordinis indigenas, et qua auctoritate.

43. An Regulares habeant facultates speciales, et an eas exhibeant Episcopo, antequam exerceant.

44. In quibus dependeant ab Episcopis.

45. Quibus mediis sustententur: an aliquid pro Sacramentorum administratione percipiant, et quae sit illorum fama.

46. An, et in quibus utile opus praestent pro salute animarum, et pro incremento Religionis.

47. An sit aliquis Monialium Conventus; cujus Instituti; qua auctoritate fundatus; et cujus curae et ministerio subsit.

48. An ibidem observetur vita communis, et an Moniales obstringantur Votis Solemnibus, Paupertatis, Castitatis, Obedientiae, et Clausura.

49. An sint in Dioecesi piae aliquae Fundationes, seu Legata Pia.

50. An reditus pro hujusmodi Legatis rite administrentur et Canones ea de re serventur.

51. Enumerentur omnes abusus, qui forte irrepserunt etiam inter Catholicos, sive circa Fidem, et Ritus, sive circa mores, vel administrationem Sacramentorum, Divini Verbi praedicationem, et cujusque alterius generis sint.

52. Exprimantur principales causae hujusmodi abusuum; et quomodo possint eradicari.

53. Num matrimonia rite contrahantur.

54. An a viginti circiter annis status Fidei Catholicae augeatur, vel potius decrescat, et qua de causa.

55. Tandem attente perpendat spirituales Christianitatis illius necessitates: eas distincte referat, mediaque proponat idonea ad praeteritos errores evellendos, et majorem Religionis profectum inducendum.

APPENDIX XVI.

[*Ad. pag.* 105, *n.* 173.]

FORMULAE LITTERARUM QUAS EPISCOPI APUD SE RETINERE DEBENT.

FORMA I.

Institutio Parochi.

Dilecto Nobis in Christo Reverendo *N.* Presbytero Dioecesis *N.* salutem in Domino.

Cum Ecclesia Parochialis *N.* quam Rev. Presb. *N.* illius ultimus et immediatus Titularis ac possessor, obtinebat per vacaverit et vacet in praesens; Nos, ne divinus cultus in dicta Ecclesia detrimentum patiatur providere volentes, auctoritate ordinaria et alias omni meliori modo, quo melius validiusque possumus, Tibi apud Nos de vitae et morum honestate aliisque laudabilibus probitatis et virtutum meritis multipliciter commendato, praedictam Ecclesiam Parochialem *N.* cum omnibus juribus et pertinentiis suis universis, per praesentes, conferimus et assignamus; in illaque Te cum juris plenitudine Parochum instituimus.

Monitum te insuper volumus ex speciali mandato nostro ut irreprehensibilem te praebeas et oves Tibi concreditas cognoscas, custodias, pascas verbo, exemplo, Sacramentis. Memineris Te in ista Paraecia administranda futurum participem et socium laborum, curae et pastoralis officii Nobis in universa Dioecesi commissi. Elaborabis propterea et contendes, ut populus cujus curam una cum Ordinario tuo geres, tamquam purum triticum, auxiliante divina misericordia, congregetur in horrea coelestia.

In quorum fidem, praesentes manu nostra signatas et

per Secretarium nostrum subscriptas, sigilloque episcopali munitas fieri jussimus.

Datum apud *N.* anno a Nativitate Domini mensis die.

De mandato Illm̃i et Rm̃i Dñi Episcopi.

LOC. ✠ SIG. *Secretarius.*

FORMA II.

Institutio Vicarii Administratoris.

Dilecto nobis in Christo Rev. Presbytero *N.* Salutem in Domino.

Ne Ecclesia Parochialis *N.* ob illius vacationem aliquod in divinis patiatur detrimentum, tibi munus Vicarii Spiritualis demandamus, et ut in praefata Ecclesia Parochiali officia omnia Parochialia, illud etiam assistendi occurrentibus matrimoniis, durante illius vacatione exerceas, his Nostris valituris donec Nobis visum fuerit, facultatem concedimus et impertimur: illud te admonentes et hortantes in Domino, ut quae Sacerdotibus et Parochis in Provincialibus ac Dioecesanis Synodis praescripta sunt, diligenter accurateque attendas et observes. In quorum fidem, etc.

Datum apud *N.* ex aedibus Nostris Episcopalibus anno a Nativitate Domini mensis die.

De mandato Illm̃i et Rm̃i Dñi Episcopi.

LOC. ✠ SIG. *Secretarius.*

FORMA III.

Litterae Testimoniales.

Per praesentes omnibus fidem facimus et testamur dilectum Nobis in Christo *N.* pro tempore in quo in Nostra Dioecesi commoratus fuit, suae probitatis specimen dedisse, bonaque fama, vita et moribus praeditum fuisse, et ex hac Nostra Dioecesi egressum fuisse nullo delicto quod infamiam irroget patrato, nullaque alia Ecclesiastica censura aut alio Canonico impedimento quod sciamus innodatum quominus ad Ordines ad formam Constitutionis Innocentii PP. XII. *Speculatores* promoveri possit.

In quorum omnium et singulorum fidem has praesentes Litteras manu Nostra subscriptas, sigilloque Nostro et Secretarii Nostri Subscriptione munitas fieri jussimus.

Datum *N.* ex aedibus Nostris, die

——————— ———————

De mandato Illmi et Rmi Dni mei Episcopi.

——————— ———————

LOC. ✠ SIG. *Secretarius.*

FORMA IV.

Litterae Testimoniales ad Religionem ingrediendam.

Reverendo *N.* salutem in Domino.

Cum certiores Nos reddideris dilectum in Christo filium *N.* optimam partem eligendo, nomen suum huic praeclarissimo Ordini *N.* (*vel* praeclarissimae Congregationi *N.*)

dare velle; cumque de eodem a Nobis litteras testimonii postulaveris: Nos precibus tuis benigne annuentes, sumptis diligentissime, etiam secreto, ad normam Pontificii Decreti 25 Januarii 1848, informationibus, fidem facimus et testamur, eum nullo matrimonii aut sponsalium vinculo adstrictum, nullatenus inquisitum, non aere alieno gravatum, non reddendae alicujus administrationis rationi obnoxium, nec irretitum censura vel alio Canonico impedimento, quo a perfectiore vitae genere, ad quod laudabiliter tendit, debeat prohiberi; quin imo libenti animo eum declaramus iis esse moribus, vita et fama, ut dignum se praebeat qui in praedictum Ordinem *N.* (*vel* praedictam Congregationem *N.*) cooptetur, spemque Nobis injiciat fore ut ejusdem fini respondeat, optimeque de illo (*vel* illa) mereatur. In quorum fidem, etc.

Datum die mensis anni

LOC. ✠ SIG. *Secretarius.*

FORMA V.

Litterae Dimissoriae.

Dilecto Nobis in Christo *N.* nostrae Dioecesis subdito salutem in Domino.

Tibi de legitimo matrimonio, ut Nobis constat, procreato, cujus vita et morum probitas per testificationes Nobis factas comprobantur, ut a quocunque Catholico Antistite gratiam et communionem S. Sedis habente et in propria Dioecesi residente, vel in aliena de licentia Ordinarii loci

Pontificalia exercente, ut ad promoveri valeas, eidemque Antistiti praefat conferendi, tibique ill suscipiendi licentiam tenore praesentium concedimus et impertimur, attenta tua a Nobis absentia, ac probitatis ac morum testimonio, quod te absente accepimus; servatis tamen ab eodem Antistite S. Concilii Tridentini super hoc decretis, circa examen de te faciendum, approbationem legitimam et interstitia, super quibus conscientiam ejus oneramus.

In quorum omnium et singulorum fidem, has praesentes Litteras manu Nostra subscriptas, sigilloque Nostro et Secretarii Nostri subscriptione munitas fieri jussimus.

Datum ex aedibus Nostris die

———— ————

De mandato Illmi ac Rmi Dñi mei Episcopi,

———— ————

LOC. ✠ SIG. *Secretarius.*

FORMA VI.

Fides Ordinum.

Fidem facimus et testamur, Nos die Sacram Ordinationem celebrantes in *N.* dilectum Nobis in Christo *N.* vita, moribus, aetate, doctrina, caeterisque per S. Conc. Trid. requisitis idoneum repertum, praeviis exercitiis spiritualibus, ad rite et canonice juxta S. Romanae Ecclesiae ritum in Domino promovisse.

Datum die mensis anni

LOC. ✠ SIG.

FORMA VII.

Petitio pro dispensatione in Bannis.

R̃m̃e D̃ñe.

Propter rationes inclusis litteris expositas humillime supplicatur pro dispensatione super (*a*) denuntiationibus Matrimonii inter (*b*) Catholicum et (*c*) pariter Catholicam inferius descriptos sponsos, proxime, si Deo placuerit, celebrandi. Adhibitis porro debitis diligentiis et receptis, prouti inspectis adnexis tabellis apparebit, opportunis informationibus, testatur infrascriptus exponens nullum fuisse detectum impedimentum Canonicum, quominus ad praedicti Matrimonii celebrationem tuto procedi possit. Quare, etc.

(*d*) die mens. an.

(*e*)

R̃m̃o D̃ño *D.* Episcopo *N.*

Inserantur—(*a*) Numerus denuntiationum; (*b*) Nomen sponsi; (*c*) Nomen sponsae; (*d*) Locus, dies, mensis et annus expeditae petitionis (*e*) Nomen parochi vel alterius, expedientis supplex libellum.

Diligenter inquirant Parochi tam Sponsi quam Sponsae, atque in subjectis tabellis, propriis etiam nominibus una cum respectivis paroeciarum designationibus subsignatis, necnon loco, die, mense et anno expeditae petitionis designatis, notent quae sequuntur.

	SPONSI.	SPONSAE.
1. Nomina, Cognomina et Domicilia, contrahentium.		1.
2. Aetatem an sufficiens, an minor forte sit 21 annis?		2.
3. Conditionem, an scilicet antea Matrimonio juncti, vel non?		3.
4. An ullo impedimento ligaminis, consanguinitatis, affinitatis, voti, sponsalium, vel alterius generis detineantur?		4.
5. An libere, sponte, et secundum honestatem Sacramenti, contrahere velint?		5.
6. An cum consensu parentum, tutorumve (indicato praesertim casu quo in minori forte aetate constituto aliquis deputatus sit publica auctoritate in tutorem vel ipse judex eo munere fungatur) et quatenus negative indicentur rationes?		6.
7. An in doctrina Christiana sint sufficienter edocti?		7.
8. Quanto tempore in praesentibus, respective, paroeciis degerint?		8.
9. Et (quatenus haud sufficienti ad accuratam personarum notitiam) referantur litterae a prioris residentiae parochis, acceptae vel alia idonea testimonia unde constat partes esse liberas ad contrahendum?		9
10. Nomen, residentiam, etc., utriusque respective Parochi vel Vicarii.		10.

Si vero quaevis alia circumstantia sit quae difficultatem gignere possit, ea etiam accurate explicari debet, additis quoque literis vernaculo sermone conscriptis quibus, quatenus opus est, exponantur rationes expetitae dispensationis; supplex demum libellus ita confectus septem saltem diebus ante propositam Matrimonii celebrationem Ordinario transmittatur, ut suborto aliquo dubio tempus supersit opportunis informationibus ulterius exquirendis.

FORMA VIII.

Dispensatio a Publicatione Bannorum.

Quum justis de causis expediat ut cum *N.* Dioecesis Nostrae, et *N.*, Dioecesis super bannorum proclamatione dispensetur, cum iisdem super proclamatione per has praesentes in Domino dispensamus.

Datum ex aedibus Nostris die

———— ————

De mandato Illm̃i et Rm̃i Dñi mei Episcopi.

———— ————

LOC. ✠ SIG. *Secretarius.*

FORMA IX.

Formula petendi Dispensationem super imped. Matrim.

Illustrissime et Reverendissime Domine,

Matrimonium inire cupit *N.*, Catholicus, cum *N.*, pariter Catholica, non obstante impedimento quo tenentur consanguinitatis (*aut* affinitatis) in gradu Quamobrem petunt ab Amplitudine Tua ut dignetur concedere dispensationem necessariam qua valide et licite contrahere possint.

Ego Sacerdos *N.*, in Paroecia de *N.*, testor mihi in Domino videri talem dispensationem concedi posse propter sequentes causas (*vel* sequentem causam) videlicet, propter.

Datum apud die mensis A.D.

Sacerdos.

FORMA X.

Dispensat. in imped. Matrim.

Attentis rationibus a dilecto nobis in Christo, Rev[do.] D[no.] *N.*, expositis, vi ac tenore facultatum nobis die mensis anno 18 a S. Sede ad Sexennium concessarum dispensationem largimur, qua *N.N.*, uterque Catholicus Matrimonium licite et valide inire queunt, licet in gradibus conjuncti sint, praevia tamen confessione sacramentali, et dummodo nullum aliud obstet canonicum impedimentum, praesertim vero quod mulier rapta non fuerit, et si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat. In quorum fidem, etc.

Dat. die mensis Anno 18

LOC. ✠ SIG.

FORMA XI.

Fides Reliquiarum.

Universis, et singulis praesentes literas inspecturis fidem facimus, et attestamur, quod Nos, ad majorem Omnipotentis Dei gloriam, suorumque Sanctorum venerationem, recognovimus sacras particulas ex quas ex authenticis locis extractas reverenter collocavimus in theca crystallo munita, bene clausa, et funiculo serico coloris rubri colligata, ac sigillo Nostro signata, easque consignavimus cum facultate apud se retinendi, aliis donandi, et in quacumque Ecclesia, Oratorio, aut Cappella, publicae fidelium venerationi exponendi.

In quorum fidem has literas testimoniales manu Nostra subscriptas Nostroque sigillo firmatas expediri mandavimus.

Datum ex ædibus Nostris die

De mandato Illm̃i et Rm̃i Dñi mei Episcopi.

LOC. ✠ SIG. *Secretarius.*

FORMA XII.

Litterae Commendatoriae.

Dilecto Nobis in Christo R. *N.*, Dioecesis Nostrae Presbytero, salutem in Domino sempiternam.

Tibi qui ex hac Dioecesi, honestas ob causas Nobis cognitas, ad tempus discedendi veniam postulas, licentiam, ut ab eadem, per abesse possis per praesentes in Domino concedimus et impertimur: testantes te nulla prorsus ecclesiastica censura aliove Canonico impedimento, quod sciamus, esse irretitum; immo moribus, religione, aliisque virtutum meritis esse commendatum. Quamobrem omnes locorum Ordinarios, ad quos tibi in itinere divertere, vel apud quos manere contigerit, enixe in Domino rogamus, ut te ad Sacrum Missae Sacrificium celebrandum admittant, humaniter excipiant, in cunctis tueantur.

Datum apud die mensis

——————— ———————

De mandato Illm̃i ac Rm̃i Dñi mei Episcopi.

——————— ———————

Secretarius.

LOC. ✠ SIG.

FORMA XIII.

Litterae Excorporationis.

Dilecto Nobis in Christo *N.*, Dioecesis Nostrae Alumno, Salutem in Domino sempiternam.

Tibi per has presentes litteras, ut in Clerum Dioecesis *N.*, auctoritate Illm̃i et Rm̃i Dñi, illius Episcopi, cooptari et incorporari possis licentiam in Dominò concedimus;

testantes te nullo Canonico impedimento vel censura (quantum sciamus) esse irretitum, et omni quo possimus meliori modo transferentes jurisdictionem et auctoritatem quam super te habemus in manus ejusdem Rm̃i Dñi Episcopi, ejusque successorum vita tua durante.

Datum apud die mensis

De mandato Illm̃i ac Rm̃i Dñi mei Episcopi.

LOC. ✠ SIG. *Secretarius.*

FORMA XIV.

Erectio Confraternitatum.

Quum Nobis innotuerit maxime desiderandum esse pro animarum utilitate ut in *N.*, Confraternitas *N.*, erigatur, utentes facultatibus a SSm̃o Domino Nostro Pio PP. IX. die Nobis ad benigne concessis, erigendi scilicet Confraternitates a S. Sede approbatas cum applicatione SS. Indulgentiarum, et insuper erigendi duas vel plures ejusdem nominis Confraternitates, contrariis quibuscumque non obstantibus, cauto tamen ut exinde amoveantur quae per Constitutionem Clementis VIII. evitari curatum est, per praesentes praefatam Confraternitatem cum omnibus suis juribus et privilegiis spiritualibus in Ecclesia supradicta erigimus; et R. *N.*, ejusdem Confraternitatis Rectorem constituimus, cum potestate benedicendi insignia, si quae sint. Successorem ejus in tali officio a Nobis approbandum esse decernimus, ac volumus ut praeter regulas, constitutiones, habitus, et pia exercitia jam approbata pro Archi-

confraternitate dicti Instituti (quae saltem in essentialibus observari jubemus), alia hujusmodi, si quae fuerint pro loci circumstantiis, Nostro examini subjiciantur ut legitimam a Nobis approbationem obtineant.

Datum ex aedibus Nostris die

———— ————

De mandato Illm̃i et Rm̃i Dñi mei Episcopi.

———— ————

LOC. ✠ SIG. *Secretarius.*

FORMA XV.

Facultas celebrandi.

Dilecto Nobis in Christo R. *N.*, Presbytero Dioecesis *N.*, ut in quibuscumque Dioecesis Nostrae Ecclesiis et Oratoriis publicis de consensu Rectorum celebrare possit, licentiam in Domino concedimus.

Praesentibus valituris ad

Datum die

———— ————

De mandato Illm̃i ac Rm̃i Dñi mei Episcopi.

———— ————

LOC. ✠ SIG. *Secretarius.*

FORMA XVI.

ERECTIO STATIONUM VIAE CRUCIS.

Formula qua facultas erigendi Stationes conceditur.

Dilecto Nobis in Christo R. *N.*, Salutem in Domino sempiternam. Cum a Nobis licentiam postulaveris erigendi in Ecclesia S. *N.*, pium Exercitium Viae Crucis, Nos tuis precibus inclinati, ad augendam fidelium devotionem erga Sacratissimam Christi Domini Passionem et in solamen animarum

in Purgatorio degentium, facultatibus utentes Nobis benigne tributis ad a SSmo. Domino Nostro Pio PP. IX. per Rescriptum diei , te specialiter per praesentes delegamus et deputamus cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis, ut benedictionem et erectionem Stationum Viae Crucis in Ecclesia praedicta debite peragere possis et valeas, cum applicatione omnium Indulgentiarum a Summis Pontificibus dictum pium Exercitium peragentibus concessarum, servatis tamen omnibus et singulis servandis in benedictione et erectione praedictis.

Datum apud die mensis

Testimonium erectionis ad Episcopum mittendum una cum formula praecedente.

Ego infrascriptus, facultatibus per praesentes mihi delegatis utens, Stationes Viae Crucis in Ecclesia praedicta benedixi et erexi, servatis in omnibus servandis, hac die

Ita testor,

Testimonium erectionis servandum in Ecclesia in qua Stationes erectae fuerint.

In Nomine Domini. Amen.

Ego infrascriptus specialiter delegatus et deputatus ab Illmo et Rmo Domino Episcopo *N.*, per litteras sub die 18 ad me datas, virtute facultatis Apostolicae tributae per Rescriptum SSmi Domini Nostri Pii Div. Prov[a]. PP. IX. diei , fidem facio et testor me Stationes Viae Crucis in Ecclesia S. *N.*, servatis omnibus et singulis servandis, benedixisse et erexisse cum applicatione omnium Indulgentiarum a Summis Pontificibus dictum pium Exercitium peragentibus concessarum, hac die

Ita testor,

APPENDIX XVII.

[*Ad. pag.* 109, *n.* 186.]

QUAESTIONES

DE MISSA PRO POPULO PROPOSITAE S. CONGREGATIONI CONCILII.

I. An Parochus die festo a sua paroecia absens satisfaciat suae obligationi missam celebrando pro populo in loco ubi degit, seu potius teneatur substituere alium qui missam pro populo dicat in propria ecclesia?

Et quatenus negative ad secundam partem.

II. An teneatur missam applicare pro populo in loco ubi degit, seu potius ad parochiam rediens teneatur applicare in propria ecclesia?

III. An parochus morbi causa legitime impeditus ne missam celebret, teneatur post recuperatam sanitatem tot missas applicare pro populo, quot durante morbo omisit, sive in casu quo nec per se nec per alium celebrare poterat sine gravi incommodo, sive in casu quo poterat per alium, sed ex aliquo vano timore vel negligentia non curavit vel non obtinuit ut alius pro se celebraret.

Hisce quaestionibus S. Congregatio sequens responsum dedit die 14 *Decembris* 1872.

Parochum die festo a sua paroecia legitime absentem satisfacere suae obligationi missam applicando pro populo suo in loco ubi degit, dummodo ad necessariam populi commoditatem alius sacerdos in ecclesia parochiali celebret et verbum Dei explicet.

Parochum vero utcunque legitime impeditum ne missam celebret, teneri eam die festo per alium celebrari et applicari facere pro populo in ecclesia parochiali; quod si ita factum non fuerit, quamprimum poterit, missam pro populo applicare debere.

APPENDIX XVIII.

[*Ad. pag.* 81, *n.* 69, *et pag.* 109, *n.* 187.]

INDULTUM

SUPER CELEBRATIONE MISSAE PRO POPULO.

Cum Hiberniae Sacrorum Antistites in Plenario Concilio Maynutiano coadunati, prae oculis habentes Parochorum in ea regione circumstantias, et praesertim quod in pluribus ex illis Ecclesiis Sacrosanctum Missae Sacrificium diebus festis difficulter offerri possit humiliter postulassent, ut eosdem Parochos ab onere celebrandi in propriis Ecclesiis, et applicandi Missam pro populo in iis festis diebus, quibus fideles ab obligatione Missam audiendi apostolica auctoritate soluti sunt, dispensare possent; SSñus Dominus Noster Pius Divina Providentia PP. IX. referente me infrascripto S. Congregationis de Propaganda Fide Pro-Secretario in audientia 6 Augusti c. an. benigne annuit juxta petita ad decennium pro arbitrio et conscientia Episcoporum, qui tamen Apostolico Indulto utantur perpensis locorum et personarum adjunctis.

Datum Romae ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide die 1ª Septembris 1876.

LOC. ✠ SIG.

ALEX. CARD. FRANCHI, *Praef.*
J. B. AGNOZZI, *P. Secret.*

APPENDIX XIX.

[*Ad. pag.* 116.—*De viris religiosis.*]

DECRETUM SACRAE CONGREGATIONIS SUPER STATU REGULARIUM

Auctoritate Sanctissimi Domini Nostri Pii PP. IX. editum de testimonialibus Ordinariorum literis requirendis in receptione illorum, qui ad habitum religiosum admitti postulant.

Romani Pontifices pro eorum pastorali cura, qua semper Regularium familiarum bono et splendori prospicere non omiserunt, illud Superioribus pro viribus commendarunt, ut antequam ad religiosum habitum Postulantes reciperent, de illorum vita, moribus ceterisque dotibus et qualitatibus sedulo inquirerent, ne indignis ad religiosas familias, non sine maximo illarum detrimento, ostium adaperirent. Verum quamlibet Moderatores Ordinum diligentiam adhibeant in informationibus exquirendis, in gravi tamen ut plurimum versantur periculo deceptionis, nisi ab locorum Antistitibus testimonium exquirant circa eorum qualitates, qui ad habitum religiosum admitti postulant: Ordinarii enim vi pastoralis officii oves suas prae ceteris agnoscere possunt, et saepe saepius ea manifestare impedimenta, quae alios latent. Haec animadvertens Sanctissimus D. N. Pius PP. IX., audito voto S. R. E. Cardinalium hujus Sacrae Congregationis super statu Regularium, attentisque postulationibus nonnullorum Episcoporum, praesenti decreto ubique locorum perpetuis futuris temporibus servando, haec, quae sequuntur, Apostolica auctoritate statuit, atque decernit.

1. In quocumque Ordine, Congregatione, Societate, Instituto, Monasterio, Domo, sive in iis emittantur vota solemnia, sive simplicia, et licet agatur de Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, Institutis, Monasteriis, ac Domibus, quae ex peculiari privilegio etiam in corpore juris clauso, vel alio quovis titulo in decretis generalibus non comprehenduntur, nisi de ipsis specialis, individua, et expressa mentio fiat, nemo ad habitum admittatur absque testimonialibus literis tum Ordinarii originis, tum etiam Ordinarii loci, in quo Postulans post expletum decimum quintum annum aetatis suae ultra annum moratus fuerit.

2. Ordinarii in praefatis literis testimonialibus postquam diligenter exquisiverint etiam per secretas informationes de Postulantis qualitatibus, referre debeant de ejus natalibus, aetate, moribus, vita, fama, conditione, educatione, scientia; an sit inquisitus, aliqua censura, irregularitate, aut alio canonico impedimento irretitus, aere alieno gravatus, vel reddendae alicujus administrationis rationi obnoxius. Et sciant Ordinarii eorum conscientiam super veritate expositorum oneratam remanere; nec ipsis unquam liberum esse hujusmodi testimoniales literas denegare; in eisdem tamen super praemissis singulis articulis ea tantum testari debere, quae ipsi ex conscientia affirmare posse in Domino judicaverint.

3. Omnibus et singulis Superioribus regularibus, aliisque Religiosis, ad quos spectat, cujuscumque gradus sint, et instituti licet exempti, et privilegiati ac de necessitate exprimendi, etiam in virtute sanctae obedientiae hujus decreti observantia districte praecipitur: et qui contra hujus decreti tenorem aliquem ad habitum religiosum receperit, poenam privationis omnium officiorum, vocisque activae, et perpetuae inhabilitatis ad alia in posterum obtinenda eo ipso incurrat, a qua nonnisi ab Apostolica Sede poterit dispensari.

4. Vi cujuscumque privilegii, facultatis, indulti, dispensationis, approbationis, regularum, et constitutionum etiam in forma specifica, quam ab Apostolica Sede aliquis Ordo, Institutum, Superior Religiosus consequeretur, numquam huic decreto derogatum esse censeatur, nisi ei expresse et nominatim derogetur, licet in concessione derogatoriae generales quamtumvis amplae apponantur. Quod si alicui Instituto expresse, et nominatim dispensatio super eodem decreto aliquando concedi contigerit, aliis minime extendi vi poterit cujuscumque privilegii, et communicationis privilegiorum.

5. Quolibet anno die prima Januarii in publica mensa hoc decretum legatur sub poena privationis officii, ac vocis activae et passivae, a Superioribus ipso facto incurrenda.

Ne autem hujus decreti observantia aliqua ratione, titulo, praetextu impediatur, Sanctitas Sua quibuscumque in contrarium facientibus constitutionibus, regulis, et statutis cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, Instituti, Monasterii, Domus etiam in forma specifica ab Apostolica Sede approbatis, nec non cuilibet privilegio licet in corpore juris clauso, et Apostolicis Constitutionibus ac decretis confirmato, ac expressa, individua, speciali, et specialissima mentione digno, aliisque contrariis quibuscumque prorsus derogat, et derogatum esse declarat.

Datum Romae ex Sacra Congregatione super Statu Regularium die 25 Januarii 1848.

ANDREAS CAN. BIZZARRI,
a Secretis.

APPENDIX XX.

[*Ad. pag.* 116, *n.* 229.]

INSTRUCTIO

EDITA JUSSU SACRAE CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE DE MULIERIBUS TERTII ORDINIS, EARUMQUE PRIVILEGIIS.

Cum diuturna experientia Emi PP. non sine gravi moerore edocti sint non levia inter Ordinarios locorum, et Superiores Regularium de Tertiariis, earumque exemptione ac juribus in dies oriri dissidia, ea potissimum causa, quod Pontificum Constitutiones omnes hac de re non satis sint notae, ac privilegia a Sede Apostolica Tertio Ordini concessa non probe intelligantur: ne malum hoc diutius perseveret, in locis praesertim Missionum, in quibus pacis, et concordiae vinculum inter Clerum Saecularem, et Regularem maxime conservatum, oportuit ad cavendum a fidelium scandalis, ab infidelium blasphemiis, et ab haereticorum, schismaticorum calumniis, iidem Emi PP. in Congregatione Generali habita die 2 Augusti 1762, provide decreverunt instructionem aliquam esse adornandam, in qua exerta veterum Decretorum summa, et norma in causis occurrentibus ab omnibus servanda contineatur.

Pro cujus Decreti exequutione, ut ordine procedatur, primo illud prae oculis habendum, hic non agi de Tertiariis, quae Latini ritus non sint; hujusmodi enim mu-

lieres a Missionariis Latinis cujusvis Ordinis, aut Instituti, minime licere ad habitum Tertii Ordinis, suscipiendum admittere; quin imo, et admissae si quae fuerint, ab iisdem Missionariis curandum esse, ut quantocius susceptum habitum deponant sub poenis Apostolicae Sedis arbitrio subeundis, jam declaravit Sac. Congregatio Decreto edito in Congregatione Generali sub die 9 Maii 1757, et a sanctae mem. Benedicto XIV. approbato, quod sic se habet: "Referente Em̃o et Rm̃o Domino, Domino Cardinali "Tamburino Ponente litteras R. P. D. Patriarchae "Catholici Armenorum Ciliciae, quibus querebatur, Patres "Terrae Sanctae plures Mulieres Armenas ad habitum "Tertii Ordinis admisisse, easque insolita in illis Regioni-"bus veste indutas incedere, aliaque in iisdem litteris "plane exposita peragere, unde gravia mala, scandala, et "incommoda oriebantur; ideo orabat, ut aliquod oppor-"tunum remedium adhiberetur: Em̃i Patres, re mature "perpensa, censuerunt consulendum esse SSm̃um, ut prae-"cipiat Patribus Terrae Sanctae, aliisque Religiosis Viris "cujuscumque Ordinis, et Instituti, ne Mulieres cujuscum-"que ritus Orientalis admittant ad habitum Tertii Ordinis, "vel ad alium quemcumque ejusmodi: admissas vero "habitum jam receptum quamprimum deponere, et veste "illius Regionis, in qua degunt, communi uti omnino "curent, sub poenis Sanctitati suae benevisis.

"Facta autem per R. P. D. Nicolaum Antonelli Secreta-"rium SSm̃o Domino Nostro in audientia eodem die "habita de supradictis omnibus relatione, Sanctitas Sua "sententiam Sacrae Congregationis in omnibus approbavit, "eamque servari mandavit sub poena privationis vocis "activae, et passivae, non obstantibus Apostolicis Consti-"tutionibus, Statutis, Consuetudinibus etiam auctoritate "Apostolica confirmatis, aliisque in contrarium quibus-"cumque. Datum Romae, die, et anno, quibus supra."

Cum igitur ad unius Latini ritus Mulieres Regularium circumscripta facultas intelligatur, pronum est habitum Tertii Ordinis professas duas in classes referre: alteram earum, quae simul collegialiter vivunt, alteram vero earum quae seorsum suis in domibus degunt.

Quoad primas explorata res est, privilegiis Tertii Ordinis minime frui etiam illas, quae votum simplex Castitatis emiserint, nisi vota solemnia nuncuparint, et clausuram sancte, religioseque custodiant: Quamvis enim ejusmodi privilegiis olim fruerentur vigore Constitutionum Leonis X., quarum altera incipit *Dum intra*, altera incipit *Nuper*, ea tamen privilegia diserte revocata leguntur a san. mem. Pio V. Constitutione, quae incipit *Cura Pastoralis Officii*, in qua districtius cautum est, ne Tertiariis, quae vota solemnia non emittunt, et clausurae lege obstrictae non sunt, usquam collegialiter vivere liceat: Quod etiam a Gregorio XIII. plane confirmatum est Constitutione, quae incipit *Deo Sacris Virginibus*.

Fatendum quidem est his non obstantibus et hactenus fuisse, et adhuc esse Conservatoria quaedam, ubi Tertiariae collegialiter vivunt, etiamsi nec solemnia vota emittant, nec clausurae lege teneantur; at cum ea ab Apostolica Sede tolerata, non approbata esse intelligantur, ut Religiosae domus canonice erectae haberi non possunt, sed potius ut domicilia fundata contra mentem Sedis Apostolicae, et contra Decreta Pontificum Pii V. et Gregorii XIII., ideoque certis privilegiis, quae nonnisi clausis Tertii Ordinis Monasteriis propria sunt, carere omnino necesse est: Quomodo enim Apostolicae Sedis Indultis, et Gratiis frui possent, quae contra ejusdem Apostolicae Sedis mentem sine clausura, et votis solemnibus, adhuc tamen collegialiter vivunt? Sequitur ergo hujusmodi Tertiarias jurisdictioni Ordinarii integre, solideque subjectas manere.

Quod huc usque deductum est juxta Doctorum omnium sensum, luculentissime docuit san. mem. Benedictus XIV. Instit. Can. 105, n. 76, ac constanti stylo rescripsere Sacrae Urbis Congregationes quarum celebriora duo afferre Decreta abs re non erit.

Primum nempe Sacrae Congregationis Concilii in una *Lauden.* die 27 Maii 1677. In qua quidem causa, cum de Tertiariis Oppidi Cottonei vota quaedam simplicia Castitatis, Paupertatis et Obedientiae emittentibus, sine solemnitate tamen, et sine clausura, ageretur, proposito Dubio: "An Mulieres hujusmodi subsint visitationi, et "correctioni Episcopi; Sacra Congregatio, audito Procura-"tore Generali Patrum Reformatorum S. Francisci, sub "quorum cura vivebant, respondendum censuit" *Affirmative.*

Alterum vero est Sacrae Congregationis Concilii in una *Lunen.* Sarzanen. die 30 Januarii 1723. In qua quidem cum de Mulierum, assumpto habitu Tertii Ordinis S. Francisci, collegialiter in Conservatorio Massae viventium, exemptione disceptaretur; Sacra Congregatio de more rescripsit: "Conservatorium esse subjectum omni-"modae jurisdictioni Episcopi, citra tamen approbationem "Sacrae Congregationis quoad dictum Conservatorium:" In quo quidem Decreto, eodem temporis, ac loci vestigio quo ejusmodi Mulieres subjectae declarantur omnimodae jurisdictioni Episcopi, ne probari sub ea forma viderentur hujusmodi conservatoria, verbis adjectis, *citra approbationem,* solertissime cautum est; adeo Sacrae Congregationis mens ab ejusmodi Collegiis sine votorum solemnitate, et sine clausurae lege fundatis vel ipsa specie probandis aliena est.

Disciplinam hanc aliquantulum immutavit Benedictus XIII. nonnullis Constitutionibus editis, nimirum ea, quae incipit: *Paterna,* altera, quae incipit: *Exponi nobis,*

tertia denique, quae incipit: *Pretiosus*, quarum dispositione Tertiariae, quae sine solemnibus votis, et sine clausurae lege collegialiter viverent, a jurisdictione Episcoporum subductae in jurisdictionem, et curam Superiorum Ordinis redierunt ; At vix defuncto laudato Pontifice, ejus successor Clemens XII. Constitutione, quae incipit *Romanus Pontifex*, sublatis iterum ejusmodi gratiis, et privilegiis, pristinam de Tertiariis Ordinario subjectis disciplinam restituit; in ea quippe sic expresse habetur: "Statuimus, et decernimus de omnibus et "singulis praedictis Litteris, et Constitutionibus, quae ab "eodem Antecessore nostro Benedicto prodierunt, nec "non de omnibus privilegiis, gratiis, favoribus, indultis, "exemptionibus, facultatibus, et declarationibus in iisdem "contentis eam deinceps decisionem, ac judicium etiam in "foro conscientiae habendum, quod sive ex jure communi, "sive ex Concilio, sive ex Decretis, et Constitutionibus "Apostolicis, sive ex aliis legitime habeatur antequam "eaedem Litterae, et Declarationes ab eodem Benedicto "concessae fuissent, perinde scilicet ac si illae non emanas-"sent; ad quam dispositionem, ejusque pristinum statum, "ac terminum omnia superius enunciata omnino reduci-"mus, et reducta esse volumus; ita ut in posterum supra-"dicti Ordines Regulares earumdem Litterarum, et Con-"stitutionum usu, commodo, et effectu penitus carere "debere intelligantur:" Ex quibus sane verbis colligit Benedictus XIV. Inst. Can. 105, n. 76: "Redit in "pristinum Ordinariorum jurisdictio supra Tertiarias col-"legialiter sine votorum solemnitate, et sine clausurae "lege viventes; eademque de causa ut nobis subjectas "eas libere visitavimus."

Gradum nunc faciendo ad alteram Tertiariarum classem, quae seorsim suis in domibus degunt, majoribus privilegiis olim gavisas eas fuisse compertum est, inter

quae praecipua numerantur: 1, privilegium Fori, quod tamen locum non habet in locis missionis, ubi vix Religio toleratur: 2, ut Patribus illius Ordinis, cujus regulam profitentur, sua peccata in sacramento poenitentiae aperire liceret, quamquam ab Ordinario non approbatis: 3, ut Communionem Paschalem in eorumdem Regularium Ecclesia recipientes, praecepto Ecclesiae satisfacerent: 4, Ut ab iis etiam Viaticum, atque extremam unctionem in exitu vitae possent percipere. Haec tamen omnia successivis temporibus a Summis Pontificibus, atque a Sacris Cardinalium Congregationibus, pluribus editis Constitutionibus, et Decretis, penitus sublata, atque ad terminos juris communis redacta sunt, ut late Fagnanus in cap. *Omnis* num. 64, de poenit. et remiss. ex S. C. rescripto refert his verbis: "Cum Fratres Monasterii "S. Dominici de Lugo Imol. Dioecesis declarari postulas- "sent, an ipsis liceret praesertim ex suis privilegiis audire "confessiones virorum, et mulierum professorum Tertii "Ordinis S. Dominici, eisque in Paschate Sacramentum "Eucharistiae ministrare, Viaticum praebere, atque ex- "tremam unctionem ministrare? Sacra Congregatio "consideravit, praesupposito, quod hujusmodi professi "eodem jure censeantur cum aliis professis Tertii Ordinis "S. Francisci, de quibus in gloss. in Clem. *Cum ex eo* de "sent. excom. Eorum non esse aliquam Religionem, seu "modum quemdam vivendi approbatum a Sede Apostolica, "nec dici plene translatos ad Ordinem ita ut desinant "esse de saeculo. Card. in Clem. *Per litteras* num. 9, de "Praeb. Quod cum ita sit, non magis horum, quam "aliorum saecularium confessiones praedictos Religiosos au- "dire posse, juxta cap. 15. sess. 23, ubi privilegiis quibus- "cumque derogatum est, et amplior derogatio habetur in "Bulla Pii IV. revocatoria omnium privilegiorum sub "quibusvis formulis, in his, quae Sacro Tridentino Con-

"cilio sunt contraria: Ex quo sequitur, tales Religiosos "non esse proprios Sacerdotes horum professorum; ac "proinde non posse eisdem Sacramentum Poenitentiae, "vel Eucharistiae in Paschate ministrare, juxta cap. *Omnis "utriusque sexus* de poenit. et remiss., idemque juris esse "de Viatico: siquidem praecedente confessione exhiberi "debet C. 7. de praep., quae adhibenda est, etc. sess. 13, "in Decreto de Sanctissimo Eucharistiae Sacramento. "De extrema unctione non esse judicium Congregationis, "sed tamen constare ejus administrationem, sicut aliorum "sacramentorum, pertinere ad Parochum de cujus "Parochia dicuntur esse tales professi, nisi speciali privi-"legio sint exempti."

Latius hoc ipsum Benedictus XIV. ex Pontificum Constitutionibus inter se collatis, et S. C. Decretis deducit Inst. Can. 105, n. 67, et seq. his verbis: "Si Leonis X. "Constitutio vim totam, et integram obtineat, hae Terti-"ariae privatim vitam agentes, Episcopi jurisdictione "prorsus immunes esse deberent: Eos sibi Confessarios "deligere possent, qui ad Monialium confessiones, non "vero saecularium excipiendas probantur: Ad Parochiam "accedere non tenerentur, ut Paschali praecepto satis-"facerent: Tandem a praefectis suis Regularibus extre-"mam unctionem percipere, et post mortem in Ecclesia "sui Ordinis sepeliri jure possent; sed aliter se res habet: "nam Leonis X. Constitutio ad certos quosdam limites "redacta fuit a Summis Pontificibus, qui deinde Sedem "Apostolicam tenuerunt. Cum hae Mulieres revera non "habeantur Regulares, eo quod tribus votis solemnibus "non adstringantur, ideo non censentur immunes ullo "modo ab Episcopi facultate . . . . Insuper de his "Mulieribus Tertiariis haec Sacra Congregatio Concilii "decernit: Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tri-"dentini Interpretum saepius respondit, minime posse

"Sacerdotes Regulares Mulierum Tertii Ordinis, quas de "poenitentia, vel *Pinzocheras vocant*, confessiones sacra- "mentales audire, nisi fuerint ab Ordinario approbati ad "confessiones personarum saecularium audiendas, quemad- "modum nec posse illis Sacrosanctum Eucharistiae "Sacramentum administrare in die Paschatis Resur- "rectionis Sanctissimi Domini Nostri Jesu Christi, item "ex epistola Sacrae Congregationis pro causis Episcoporum "et Regularium constitutae ad Episcopum Mutinensem "die 17 Junii anno 1639, haec in ipsas Tertiarias sancita "deprehenduntur : Circa Tertiariam similiter censuerunt "(nempe Cardinales Sacrae Congregationis) permissum "haud fuisse Fratribus ejusdem Monasterii ob quodcum- "que privilegium Ordinis administrare ipsi Sacramentum "Divinae Eucharistiae, et Extremae Unctionis, neque ejus "cadaver domo efferre indicata funebri pompa sine "Parocho aut sine ipsius licentia : Nam haec revera ad "Parochos pertinent, qui debent assiduo, sed hoc praeser- "tim tempore, cognoscere, juvare, accuratoque studio "fideles sibi traditos instituere : Accedit quod Tertiaria licet "nuncupatis votis, claustro non tenebatur : sed domi suae "intra Parochi ejusdem ditionem habitabat."

Possunt tamen earum cadavera sepeliri in Ecclesiis sui Ordinis, si locus Tertiariis designatus seorsum existat ; sin minus, in Parochiali Ecclesia, ut caeterarum cadavera, sepelienda sunt.

Lucrantur etiam indulgentias, gaudentque aliis spiritualibus gratiis Ordinis adnexis, quem profitentur, statim ac ad habitum tertii Ordinis, ac ad votum simplex Castitatis a Superioribus Regularibus admittentur, quibus hanc facultatem ex Apostolicae Sedis indulto reservari compertum est.

Non tamen ad omne Mulierum genus haec facultas

extenditur, sed ad eas duntaxat, quae conditiones a Sacris Congregationibus rite praescriptas habuerint: nimirum ut honestis, probisque moribus fulgeant, ut annos quadraginta saltem attingant, ut necessaria ad congruam vitae sustentationem bona possideant, ut nonnisi cum consanguineis, vel affinibus in primo gradu cohabitent.

Hujusmodi autem conditionum examen, et judicium non ad Superiores ipsos Regulares, sed ad locorum Ordinarios pertinere Summi Pontifices decreverunt; adeo ut recte subjiciat Benedictus XIV. loc. cit. "Quare si quod pro-"prium est, unicuique tribuatur, ad Praefectum Regularem "spectat, religiosum habitum his Mulieribus impertiri: "ad Episcopum vero facultatem tradere, et praescriptas "conditiones accurato examine cognoscere."

Haec omnia quae exerte tradit Benedictus XIV. cit. Inst. 105 Sacrae Congregationis Episcoporum, et Regularium negotiis praepositae Decreto edito sub die 20 Decembris 1616, disertissime sanciuntur: Sic enim § 5, "Praeterea si contingat aliquas ex praedictis Tertiariis "sine sepulturae electione decedere, eas sic decedentes ita "demum in Ecclesiis Ordinis, cujus habitum assump-"serunt, sepelire debeant, si in ipsis earum communis "sepultura reperiatur; sin minus, in Ecclesiis Parochiali-"bus sepeliendas esse decernit: Superioribus autem "Regularibus sufficienti facultate ad id a S. Sede Aposto-"lica suffutis (Cappuccinis exceptis) (*) libere Mulieres ad "hujusmodi habitum recipere, atque ad ipsos vestiendi eas "officium pertinere; non autem ad habitum admittendas,

(*) *Animadvertendum hic est, exceptionem de qua supra circa Minores Cappuccinos sublatam fuisse a Summo Pontifice Clemente XII. sa. me. qui in Constitutione* Apostolicae Servitutis officium *edita die* 23 *Julii* 1735. *Institutum Cappuccinorum ceteris Ordinibus Regularibus quoad Mulieres Tertiarias aequiparavit.*

" et recipiendas esse, nisi probatae vitae, ac bonis moribus " praeditas, ac in aetate saltem quadraginta annorum con- " stitutas, quae de proprio habeant unde sufficienter vivere " possint, et non cum aliis viris, quam consanguineis, vel " affinibus in primo tantum gradu sibi conjunctis cohabi- " tent, et ab Ordinario loci licentia prius impetrata, qui " non aliter eam concedat, nisi de praedictis praevio " examine diligenti sibi constiterit."

Universa haec iterum a Sacra Congregatione Concilii confirmata sunt; nam Episcopo Mazarae quaerenti anno 1727. "Quaenam sint conditiones requisitae, ut Re- " gulares habentes facultatem dandi habitum suae " Religionis Mulieribus non collegialiter viventibus, dictum " habitum dare possint, et an examen dictarum faculta- " tum pertineat ad Episcopum?" Sacra Congregatio Concilii respondit: "Examen facultatum concedendi " habitum pertinere ad Sedem Apostolicam, examen con- " ditionum quoad Mulieres vestiendas, et licentiam " vestiendi pertinere ad Ordinarium, et conditiones vesti- " endarum esse expressas in Decretis Generalibus alias " editis, et haec Decreta esse omnino servanda."

Ad normam hujusce Decreti subjecta hac formula Episcopi uti consuevere, qua Mulieri facultatem assu- mendi habitum Tertii Ordinis concedere testificantur.

" Dilectae Nobis in Christo *N*. salutem, et benedictionem " in Domino. Ut tu, quae bonis moribus imbuta, bonae- " que frugis, ac laudabilis vitae existis, in aetate anno- " rum quadraginta constituta, propria bona, ex quorum " fructibus honeste vivere vales, possides, et non cum aliis " viris, quam cum tuis consanguineis, vel affinibus in " primo gradu constitutis habitas, prout haec omnia nobis " praevia informatione constare fecisti, habitum Tertii " Ordinis S. N., quem postulasti, suscipere possis R. P. N.

"Ordinis Provincialem, illum tibi conferendi licentiam, " et facultatem concedimus, et impertimur." In quorum, etc. Datum, etc.

N. Episcopus N.

Ex quibus omnibus consequitur, quam recte Sac. Congregatio de Propaganda Fide in Congregatione Particulari habita die 31 Augusti 1761, per modum Decreti Generalis servandi in toto Regno Hiberniae inter alia rescripserit pro Tertiariis nullo modo licere Regularibus admittere ad habitum, nisi servatis servandis, et de licentia Ordinarii: aliter admissas declaretur ab Episcopis nec esse Tertiarias, nec ullis gaudere privilegiis, aut indulgentiis.

Etiamsi vero ejusmodi casus occurrere aliquando possit, in quo potius expedire videatur adolescentulam aliquam habitu Tertii Ordinis ante praefixam aetatem quodam veluti tegumento securitatis assumpto a periculis liberare, quam medias inter insidias inermem relinquere: non ideo sequitur fas esse Superioribus Regularibus sine licentia Episcopi, vel Vicarii Apostolici Puellas ad habitum suscipiendum admittere: Consulant ipsi potius in hujusmodi casibus loci Ordinarium, qui se facilem pro sui prudentia, atque adeo conscientia, motus ipsius periculi gravitate, praebebit. Nec expedit semper in adolescentulis votum Castitatis cum habitus susceptione conjungi, quin potius ad aetatem provectiorem quandoque differri; ab ea quippe longius abesse solent illa, sive pericula, sive scandala, quae ferventiori, quam prudentiori zelo agitante possunt oriri.

Haec habet Sacra Congregatio, quo dissidia, ac jurgia hisce de rebus in posterum tollantur, iisque sublatis, unitas spiritus, et vinculum pacis inter Operarios Vineae Domini conservetur. Et ut maxima, quae in terris Domino relicta est, potestate roborentur SS. D. N. P. Clementi XIII. feliciter regnanti legenda, consideranda,

probanda curavit, et idem SS. D. haec omnia lecta, considerata, probata auctoritate Apostolica confirmavit.

Confidit in D. J. Sac. Congr., hinc Superioribus Regularibus ad normam Instructionis hujusce ambulantibus, inde locorum Ordinariis, et Vicariis Apostolicis ad aliorum jura servanda solicitis, collatis utrinque studiis, illud concordiae gluten coaliturum, quo qui ex adverso sunt, nihil habentes malum dicere de eis, vereantur magis, et domus Dei, quae est Ecclesia, ipsa unitate terribilis ut Castrorum Acies ordinata, fideles laetitia, Infideles, Haereticos, Schismaticos rubore suffundat.

Quam Sac. Congr. Instructionem Sanctissimo Domino Nostro Clementi XIII. per me infrascriptum Secretarium ejusdem Sacrae Congregationis relatam in audientia habita die 16 Januarii anni 1753. Sanctitas Sua benigne in omnibus adprobavit, et omnino servari mandavit. Datum ex Aedibus S. Congregationis die 17 mensis, et anni quibus supra.

M. Marefuscus, *Secretarius.*

APPENDIX XXI.

[*Ad. pag.* 133, *n.* 303.]

CONFIRMATIO

INSTITUTI ET REGULARUM FRATRUM LAICORUM MONACHORUM SCHOLARUM CHRISTIANARUM IN HIBERNIA.

PIUS PAPA VII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Ad Pastoralis Dignitatis fastigium, meritis licet imparibus, per ineffabilem Divinae sapientiae, atque clementiae abundantiam evecti, illa quae pro felici societatum quarumlibet pie sancteque institutarum uberes charitatis ac pietatis fructus, Deo adjuvante atque incrementum dante, proferre jugiter satagentium, felicique personarum illis adscriptarum, et pro tempore adscribendarum in viae mandatorum Dei progressu provide, prudenterque constituta, et ordinata esse noscuntur, ut firma semper, atque illibata persistant, Apostolici muniminis praesidio, cum id a nobis petitur, libenter constabilimus. Cum pia quaedem Laicorum societas, sicut Nobis relatum est a dilecto Filio Magistro Carolo Maria Pedicini S. Congregationis de Propaganda Fide Secretario, in Hibernia gravissima damna perpendens, quibus egena juventus afficitur ex ignorantia, vehementerque cupiens Institutioni ac disciplinae prospicere pauperum puerorum, qui sua egestate scholas venales frequentare non possunt, ex quo fit ut penitus rudes ipsa orthodoxae Religionis elementa saepissime ignorent, iisdem erudiendis operam dare se obtulerit, proindeque Institutum quoddam

sub titulo Fratrum Monachorum aliquot jam ab hinc annis erigere susceperit, fere ad instar illius, quod in Gallia erectum fuit sub titulo Fratrum Scholarum Christianarum a fel. rec. PP. Benedicto XIII. Praedecessore Nostro anno 1724 per suam Constitutionem, quae incipit; *In Apostolicae dignitatis solio* approbatum; eo nimirum sibi proposito fine, ut pauperes adolescentes tum Christianae Fidei rudimenta, tum literas quae magis illorum conditioni convenire possunt, gratis edocerentur. Ut autem salutare hoc institutum firmius, et aeque ordine stabiliretur, ac majora in dies caperet incrementa virtutis, Regulas et constitutiones quasdam a Fratribus observandas condiderunt, quae parum differunt ab iis Christianarum Scholarum, easque Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum supplices obtulerunt, ut si rectae et congruae repertae fuerint, Apostolicae Nostrae auctoritatis et adprobationis munimine roborarentur:

Regulae seu constitutiones sunt sequentes, videlicet.

1. Quod Fratres Monachi nuncupati sub clientela Sanctissimi Infantis Jesu, ac patrocinio Beatissimae Virginis Mariae ejus Genetricis instituti, hoc maxime cavere debeant, ut pueros praesertim pauperes ad ea quae ad bene, christianeque vivendum pertinent erudiant; ac praecipuus eorum scopus, et quasi spiritus Instituti, esse debeat studiosa solicitudo puerilis Institutionis ad normam Christianae legis.

2. Quod pareant pro tempore existenti Superiori Generali ab ipsis electo, vivantque in illis Dioecesibus in quibus admissi sunt de consensu Episcoporum, et sub eorumdem auctoritate.

3. Quod illorum Superioris Generalis electio fiat scrutinio, ac secretis suffragiis per Directores omnium Domorum congregatos; Electus autem ad decem annos suo fungatur

officio, nisi idem denuo electus, et confirmatus in eo sit ad aliud decennium: itidemque in eodem consessu, eodemque modo eligantur ab iis duo Assistentes, qui pro tempore existenti Superiori Generali sint a consiliis, eumque in recta administratione adjuvent.

4. Quod Assistentes in ea degant domo, in qua Superior Generalis pro tempore commorabitur, ejusque consiliis intersint, ac manum praestent, exigente necessitate, ad respondendum litteris, quas accipiet.

5. Quod ipsi Fratres gratis pueros edoceant, neque praemium, aut munera a discipulis, vel ab eorum parentibus oblata accipiant.

6. Quod nullus e Fratribus Sacerdotium ambiat, aut ad Ordines ecclesiasticos aspiret.

7. Quod Fratres in hoc Instituto admittantur decimo sexto, aut decimo quarto suae aetatis anno; sed vota simplicia perpetua non emittant, nisi vigesimum primum aetatis annum compleverint.

8. Quod vota Fratrum sint castitatis, paupertatis, et obedientiae, stabilis permanentiae in dicto Instituto, necnon pauperes gratis edocendi.

9. Quod Superior Generalis a convocato Fratrum Capitulo Generali deponi possit his de causis, videlicet, ob haeresim, impudicitiam, homicidium, animi imbecillitatem, senii caducitatem, bonorum Instituti dilapidationem, aut aliquod enorme facinus, quod tali poena dignum censeatur a Capitulo Generali, quod tunc ab Assistentibus ad id convocabitur.

10. Quod Fratres Directores domorum particularium illas regant per triennium tantum; nisi justis de causis Superiori Generali pro tempore existenti, ejusque assistentibus convenientius videatur, ut tempus hujusmodi diminuatur aut prorogetur: atque ut Superior Generalis Directoribus particularibus hujusmodi de sua potestate necessarias

facultates concedere valeat circa votum paupertatis, ac dispensationem bonorum temporalium; ita tamen ut non liceat iisdem directoribus vel visitatoribus pro tempore deputandis fundos, ac bona tam mobilia, quam immobilia inconsultis pro tempore existentibus Superiore Generali, ejusque assistentibus, alienare.

11. Quod visitatores a Superiore Generali pro tempore existenti designati ad munus triennale singulis annis semel domos visitent, exigantque a Directoribus rationem impensi et expensi, et statim finita qualibet visitatione, referant ad Superiorem Generalem pro tempore existentem, quid sit in unaquaque domo emendandum.

12. Quod capitula generalia convocentur singulis decenniis ad quae advocabuntur Fratres Directores uniuscujusque Conventus, ac visitatores pro tempore; nisi aliquando magis expedire decernatur, ut Congregatio extraordinaria ante praefinitum tempus convocetur; totoque illo decennio assistentes electi collato munere perfungi valeant, nisi gravis aliqua necessitas cogat eos deponi ante idem tempus. Ad hunc tamen effectum si nimis incommodum, vel inopportunum censeatur, ut Congregatio Generalis extraordinaria ad removendum aliquem vel utrumque ex assistentibus convocetur; eo casu Superior Generalis per litteras Fratres Directores cujusque domus de suscepto consilio certiores faciet, iisdem rationes et causas patefaciens, propter quas illum vel illos removendos esse opportunum judicaverit. Quo facto si major eorumdem Directorum pars una cum Superiore Generali, vel ejus assistente, cui in officio remanere contigerit, suam in scriptis opinionem declaraverit, quod pro bono Instituti ad hujusmodi remotionem deveniendum sit, in potestate Superioris Generalis erit, illum, vel illos, amovere, et in casu amotionis ipse per literas Fratribus notum faciet, ad novam electionem loco amoti, vel amotorum esse procedendum. Quae quidem electio

facienda erit per eadem suffragia in scriptis ad Superiorem Generalem praefinito ad hoc die transmittenda; atque hujusmodi documenta in manibus duorum Fratrum directorum ad id vocatorum tradentur; ipsique teneantur Superiorem Generalem in scriptis certiorem facere in cujus, vel quorum favorem suffragia emissa fuerint. Tunc autem Superior Generalis declarabit, qui legitime electus, vel electi fuerint.

13. Quod Fratres non tam legendi, ac scribendi modum, orthographiam, atque arithmeticam pueros edoceant; sed eorum praecipue animos Christianis, atque evangelicis praeceptis imbuant; catecheses vel lectionem pii alicujus libri ad semihoram faciant singulis diebus, in quibus habentur scholae. Singulis vero Dominicis, aliisque de Ecclesiae praecepto festis diebus ipsam catechesim, sive lectionem ad unius horae spatium in Ecclesia, sive in locis ubi commode congregari possint, pariter habeant.

14. Quod demum Fratres visitare non possint Moniales sine expressa localis Episcopi licentia, et servatis conditionibus ab ipso in scriptis appositis.

Iis igitur ad trutinam per praedictam congregationem revocatis, auditoque Ven. Fratre Archiepiscopo Dublinensi, aliisque Hiberniae Episcopis, qui hanc societatem plurimum commendarunt, atque uberrimum ex ea fructum percipi retulerunt; praelaudata Cardinalium Congregatio Nobis humiliter supplicavit, ut praedictum Institutum, ac praeinsertas Regulas approbare dignaremur. Nos igitur praelaudatae Congregationis, ac Hiberniae Episcoporum votis annuere, et Fidelium utilitati prospicere volentes, ac singulares personas quibus praesentes nostrae literae favent, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, et

absolutas fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, de eorum Fratrum consilio, Institutum praedictum, et Regulas, seu constitutiones praeinsertas, et omnia in illis contenta, et expressa auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus, illisque Apostolicae firmitatis robur adjicimus, omnesque et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper intervenerint, sanamus, atque supplemus. Decernentes praesentes Literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, illisque plenissime suffragari, ac ab omnibus ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari; sicque per quoscunque Judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, et sedis Apostolicae nuntios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 5 Septembris 1820, Pontificatus Nostri anno vigesimo primo.

H. Card Consalvus.

APPENDIX XXII.

[*Ad pag.* 129, n. 328.]

I.

PRIMUM RESCRIPTUM DE COLLEGIIS REGINAE.

Illustrissime ac Reverendissime Domine.

Mirum fortasse videbitur quod Sacrae Congregationis responsum de collegiis academicis tamdiu dilatum fuerit; verum et negotii ipsius de quo agitur gravitas et rerum pertractandarum copia effecerunt ut diuturnum tempus effluxerit antequam, documentis et rationibus pro utraque sententia rite perpensis, judicium tuto edi posset. Illud vero ante omnia significare debemus, ne cogitasse quidem Sacram Congregationem aliquid minus rectum sibi proposuisse Antistites illos, qui collegiorum institutioni favere visi sunt; diuturna siquidem experientia illorum probitatem compertam habet, eosdemque in eam fuisse mentem impulsos existimat spe tantummodo majoris boni assequendi, utque religionis prosperitati in Hibernia consulerent. Attamen, re mature et quolibet sub respectu penitus considerata, fructus hujusmodi ex ea collegiorum erectione, Sacra Congregatio haud sibi audet polliceri; grave imo periculum fidei Catholicae inde obventurum timet; uno verbo, religioni institutionem hujusmodi detrimento existere arbitratur.

Monitos proinde voluit Archiepiscopos et Episcopos Hiberniae ne ullam in ejusdem executione partem habeant; quemadmodum vero exoptasset ut antequam ex eis nonnulli apud gubernium agerent ad legis prefata Collegia

respicientis mitigationem, aliaque in eorumdem favorem obtinenda, Sedis Apostolicae sententiam postulassent, ita pro summo obsequio quod erga eamdem Hiberniae Antistites jugiter prae se tulerunt, haud dubitat quin iidem, ea, quae in contrarium praestiterint, sint retractaturi. Haec omnia vero haud officiunt quominus si aliqui ex vobis nonnulla gravioris momenti ulterius notanda habeant, Sacrae Congregationi libere patefaciant, ut de omnibus rite dijudicari valeat.

Caeterum Sacra Congregatio probe noscit quanti intersit adolescentium, civilioris praesertim coetus, scientificae instructioni consulere: proinde Amplitudinem Tuam, et Suffraganeos simul Episcopos, hortatur, ut media omnia legitima quae in vestra sint potestate ad eamdem promovendam adhibeatis. Curandum erit ut Collegia Catholica, quae jam constituta reperiuntur, magis magisque floreant, eis additis, in philosophica presertim facultate, utilioribus cathedris quae fortasse desiderentur, atque ita ea Collegia disponantur, ut majori adolescentium numero, prout regionum adjuncta exigant, patere possint. Imprimis vero opportunum Sacra Congregatio fore duceret, si, collatis viribus, Catholicam academiam ad illius instar, quae per Belgii Antistites in civitate Lovaniensi fundata est, in Hibernia quoque erigendam Episcopi curarent.

Haec vero omnia ut ex votis feliciter contingant, Sacra Congregatio Episcopos hortatur quatenus mutuam unionem maximamque concordiam perpetuo servent, neque se partium studio abripi sinant ob negotia quae sacrum ministerium ipsis creditum haud attingant; cunctisque pateat Dei cultum, religionis bonum, animarum demum salutem eosdem tantummodo quaerere.

Haec vero eo majore studio vos praestituros arbitramur, cum eadem in omnibus Sanctissimi Domini Nostri Pii IX. sententia extiterit: postquam enim accuratam de universo

hoc negotio notitiam sibi comparasset, Sacrae Congregationis consilium probandum censuit, eique supremum auctoritatis suae robur adjecit.

Precamur Deum interim ut Amplitudinem Tuam diu sospitem ac felicem servet.

Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, Die 9 Octobris, 1847.

Amplitudinis Tuae
Ad officia Paratissimus

J. Phil. Cardinalis Fransoni, P.C.P.F.
Alexander Barnabo, *Pro Secretarius.*

Illusmo et Revmo Domino Michaeli Slattery,
Archiepiscopo Casseliensi.

II.

SECUNDUM RESCRIPTUM DE COLLEGIIS REGINAE.

Illustrissime ac Reverendissime Domine.

Excerpta nonnulla ex Statutis, quae pro novis Hiberniae Collegiis rediguntur, ac suffragia super iisdem ab Episcopis data, occasionem Sacrae Congregationi praebuerunt, ut eo potissimum sub respectu de praefatis Collegiis iterum pertractaret, quidque pro spirituali bono Catholicae Gentis Hibernensis esset rescribendum sedulo ac mature perpenderet. Licet vero praefata Statuta ea sub forma consistant, ut dijudicari non valeat quantae auctoritatis, attenta Anglicani Regni constitutione, sint futura: omnibus tamen mature pensatis Sacra Congregatio adduci non potuit ob gravia et intrinseca eorumdem Collegiorum pericula ad

emolliendam sententiam de illis prolatam ac probante Sanctissimo Domino Nostro quatuor Metropolitanis expositam die 9 Octobris Anni Superioris.

Cum autem innotescat quanto studio Clerus et integra Natio pro iis adlaborent quae ad bonum Ecclesiae promovendum referuntur, de Universitate Catholica erigenda Eminentissimi Patres haud desperandum censuerunt; imo consilium hujusmodi iterum iterumque commendarunt, ut in ejusdem executionem omnes pro viribus operam suam conferant, sicque pleniori Catholicorum instructioni satisfiat, quin ullum exinde eorumdem religio detrimentum patiatur.

Quam Sacrae Congregationis sententiam Sanctissimus Dominus Noster omni maturitate ac prudentia perpensam auctoritatis suae pondere probandam confirmandamque esse duxit, voluitque, eam quatuor Archiepiscopis remitti, respectivis per eos Suffraganeis communicandam.

Dum vero id exequor, significare etiam debeo Sacram Congregationem, immo et Dominum Nostrum illud imprimis habere in votis, ut Sacerdotalis concordia servetur, ac summopere cordi vobis existat unitatem spiritus colere quam plurimum Apostolis suis Christum Dominum commendasse Sacrosancta Evangelia testantur. Et quoniam Antistites alloquor, qui Ecclesiae historiam et SS. Patrum praeclara monita perspecta habent, supervacaneum profecto arbitror, vel ista adducere, vel commemorare quae bona Episcoporum consensio Ecclesiae contulerit, quanta vero mala ex eorumdem dissensione dimanaverint: cumque illam unanimes omnes quidem exoptetis, abs re tamen non erit vobis in mentem revocare, ut opportuniora quoque media ad eam obtinendam seligatis, alacriterque adhibeatis. Ea vero prostant in Sacris Canonibus caeterisque Ecclesiasticae disciplinae regulis, quas quidem si exactissime in ministerio vestro persequimini, et si in dubiis vestris ad Apostolicam Sedem provocabitis ut per

Eam quid vobis agendum sit tuto innotescat, supradicta unio magis magisque firmabitur, atque consistet. Inter caetera, SSmo Domino Nostro probante, illud commemorandum vobis censuit Sacra Congregatio, ut Sacerdotales conventus ex ordine, et ad SS. Canonum et librorum liturgicorum tramitem in posterum fiant; alioquin sententiarum varietas indies augebitur, nihilque boni ex hujusmodi conventibus, qui potius saecularem quam religiosam speciem prae se ferant, exurget ad Ecclesiasticam disciplinam, cui solummodo inservire debent, rite dirigendam: proinque utillimum erit acta conventuum ad Apostolicam Sedem transmittere, sicuti etiam statis temporibus literas dare de statu vestrarum Ecclesiarum prout sancitum est, ut opportuna hinc responsa excipiatis.

Haec vero vobis significantur non quia dubitatio ulla exoriatur de obsequio vestro erga Apostolicam Sedem; siquidem Orbi Universo exploratum est quam sit fervens et constans, novumque de eo testimonium literae omnes pro supradicto Collegiorum negotio redditae perhibent: verum ut et significationibus istis facto iterum comprobetur: cumque de gravioribus negotiis accurate ad eam Ecclesiam referatur, unde unitas Sacerdotalis exoritur, facilius et inter vos eadem unitas hac ratione consistet.

Interim Deum precor ut Amplitudinem Tuam diu sospitem ac felicem servet.

Romae ex Æ. S. C. de Propaganda Fide
die 11 Octobris 1848.

Amplitudinis Tuæ
Ad officia Paratissimus
J. PH. CARD. FRANSONIUS, *Præ.*
ALEXANDER BARNABÒ, *e Secretis.*

Illusmo et Revmo Domino MICHAELI SLATTERY,
Archiepiscopo Casseliensi.

III.

TERTIUM RESCRIPTUM DE COLLEGIIS REGINAE.

ILLUSTRISSIME AC REVERENDISSIME DOMINE.

Licet Hiberniae Episcopi ea potissimum de causa plenariam Synodum celebraturi videantur, ut quoad Collegia uniformis disciplina per Hiberniam retinenda communi deliberatione statuatur, attamen id peculiariter per Amplitudinem Tuam commendari iisdem voluit Sacra Congregatio; eoque praesertim hortationes in Apostolicis Litteris contentas dirigi significes oportet. Id vero feliciter praestituros confido si a debito erga Apostolicam Sedem ejusdemque responsa obsequio, vel minimum deflectant, atque in illud potissimum intendant ut Religionis bono atque animarum saluti nullo partium studio abrepti optima ratione consulere studeant. Interim per Amplitudinem Tuam Episcopis significandum duxi mirum videri quod nonnulli asseverare haud dubitaverint, post responsa de Collegiis jam data, presbyteris licere officia quaedam in iisdem Collegiis gerenda suscipere. Enimvero si ob gravia et intrinseca pericula praedicta Collegia in Religionis detrimentum obventura declaratum est; si admoniti sunt Episcopi ne ullam partem habeant in erectionis eorumdem executione; patet profecto nec aliis Ecclesiasticis viris licere munus quod ad eadem referatur Collegia obire. Quod vero alias controversias spectat eorumdem Collegiorum causa excitatas, Episcoporum erit, praefatis rescriptis sedulo perpensis, ut fideles ab iis Collegiis frequentandis, retrahantur, regulas ejusmodi proponere generatim ubivis

servandas, quae et iisdem respondeant Rescriptis et aequitati, ac benignitati, quam ipsa Apostolica Sedes suo commendat exemplo conformes existant. Interim Deum precor ut A. T. diu sospitem servet.

Romae ex Aed. S. C. de Pnda. Fide,
Die 18 Aprilis 1850.

Amplitudinis Tuae
Ad Officia Paratissimus

J. Ph. Card. Fransoni, *Praef.*
Alexander Barnabo, *a Secretis.*

R. P. D. Paulo Cullen,
Archiepiscopo Armacano.

APPENDIX XXIII.

[*Ad. pag.* 129, *n.* 282.]

INSTRUCTIONES SUPER SCHOLIS MIXTIS.

I.

ISTRUZIONI

SULLE SCUOLE MISTE EMANATE DALLA S. CONGREGAZIONE DI PROPAGANDA PEI VESCOVI IRLANDESI.

Nell' anno 1839 venne subordinato da alcuni Vescovi Irlandesi alla decisione della S. Sede il dubbio : "se con- "siderata la natura e la forma del sistema di educazione "nazionale d'Irlanda potesse tollerarsi che i Cattolici ne "fossero partecipi." Questo sistema riguardava solo le scuole secondarie o per le Classi inferiori, non già l'istruzione scientifica, ed era stato promosso dal governo inglese per la gioventù, a qualunque communione cristiana ella appartenesse ; e a questo fine per conciliare le diverse parti, tra i Membri del Comitato o Consiglio, cui era stata data l'autorità di sopraintendere all' andamento di questa istituzione di educazione, vennero annoverati oltre sette protestanti anche tre personaggi cattolici, tra i quali un Vescovo. Sebbene questo sistema introdotto fino dal 1831 e per cura del Comitato in breve tempo propagato in tutto quel regno, non avesse suscitata per varii anni controversia alcuna tra i Cattolici, pur tuttavia avendo nel 1839 manifestato alcuni Vescovi opinione contraria al

sistema, il Sommo Pontefice Gregorio XVI. di gl. me. volle che fosse presa la cosa in accurato esame dalla S. Congregazione di Propaganda, tanto più che non tutti i Vescovi convenivano nella stessa opinione, e quelli stessi, che affermavano pericoloso l'Istituto, temevano insieme le consequenze che potevano derivare dal dichiarare illecito il profittarne. Fù quindi discussa la vertenza in varie Congregazioni di Propaganda, e dopo maturo esame nel generale consesso de' 22 Decembre 1840, la S. Congregazione in vista delle ragioni ch' essa stessa espose nella risposta data, non credè emanare sulla cosa un giudizio definitivo, ma prescrisse soltanto alcune cautele, che approvate dal Sommo Pontefice fu sollecita di comunicare all' Episcopato Irlandese, con lettera diretta a ciascuno de' Metropolitani in data dei 16 Gennajo 1841, la quale è del tenore seguente.

"Quantam negotii gravitatem afferret excitata in "Hibernia controversia de recenti nationali, ut vocant, "erudiendae juventutis systemate, exploratum adeo A. "Tuae est, ut mirum tibi esse non debuerit S. Congrega- "tionis de Propaganda Fide responsum de ea re tamdiu "fuisse dilatum. Plenam enim totius rei A. Tua habet "notitiam, penitusque cognita Tibi sunt gravia omnia "rationum momenta, quae controversiae illius excitandae "occasionem attulerunt, quaeque diuturnam prorsus rei "deliberationem postularunt.

"Nam S. Congregationem magnopere sollicitam habere "debuerunt, cum diu multumque pro sui instituti munere "quaestionem propositam consideraret, Catholicae Re- "ligionis tutela, puerilis aetatis instituendae commoditas, "grati animi officium erga Britannici Imperii senatum, "qui magnae pecuniae summam popularibus Hiberniae "scholis decrevit, concordiae inter Episcopos catholicos "retinendae necessitas, quietis publicae fovendae debitum,

"metus denique ne ad heterodoxos forte Magistros pecunia "tota, et auctoritas devolvatur.

"Omnibus ergo rei periculis, et utilitatibus accurate "perpensis, auditis partium disceptantium rationibus, "habitaque praesertim felici notitia, quod per decennium, "ex quo id systema studiorum susceptum fuit, Religio "Catholica nihil detrimenti passa videatur, S. Congregatio "SSño Dño Nostro Gregorio PP. XVI. probante censuit, "nullum esse definite judicium hac super re proferendum, "atque id genus eruditionis in Episcoporum singulorum "prudenti arbitrio, et religiosa conscientia esse relin-"quendum; quandoquidem ejus successum a vigili Pas-"torum cura, a cautelis variis adhibendis, a futura demum "per temporis tractum experientia pendere necesse est. "Ne tamen sine idoneis consiliis, ac providentiis tanta "res dimittatur, Sacra Congregatio sequentia interim "monenda esse judicavit.

"Scilicet—1. Libros omnes, qui noxium aliquid sive "adversus Sacrorum Bibliorum Canonem, aut puritatem, "sive contra Catholicae Ecclesiae doctrinam vel mores "continent, a Scholis removeri debere. Hoc autem eo "facilius effici potest, quia nulla memorati Systematis "lex obstat; 2. Dandam esse pro viribus operam, ut "Praeceptor Normalis Paedagogorum Catholicorum in "Classe Religiosa morali, et historica vel catholicus, vel "nullus sit. Nam catholicum ab acatholico Religionis "tradendae methodum, vel Religiosam Historiam doceri "indecorum est; 3. Tutius multo esse ut literarum tan-"tummodo humanarum magisterium fiat in scholis *pro-"miscuis*, quam ut fundamentales, uti ajunt, et communes "Religionis Christianae articuli restricte tradantur, re-"servata singulis sectis peculiari seorsum eruditione. "Ita enim cum pueris agere periculosum valde videtur; "4. Generatim Episcopos, et Parochos advigilare opor-

" tere, ne ex hoc systemate Nationalis Institutionis pueris
" Catholicis quamlibet ob causam labes obveniat, eorum-
" dem etiam esse enixe curare ut a Supremis Modera-
" toribus meliorem in dies rerum ordinem, et conditiones
" aequiores impetrent. Illud quoque perutile fore censet
" S. Congregatio, si loca ipsa Scholarum in Episcoporum,
" vel Parochorum potestate ac proprio jure maneant. Ex-
" istimat simul permagnae futurum esse utilitatis, Epis-
" copos de tam gravi negotio in provincialibus Synodis
" invicem saepe conferre. Si autem quid adversum acci-
" det, Sedes Apostolica certior facienda sedulo est, ut ipsa
" simul provideat.

" Denique optat S. Congregatio ut deinceps Episcopi
" aliique Viri Ecclesiastici abstineant a contendendo super
" hac controversia in publicis ephemeridibus, vel ejusmodi
" aliis libellis, ne Religionis honor, mutua fama, et
" Christiana Charitas cum populi offensione laedatur.

" Haec A. Tuae a Me S. Congregationis nomine erant
" significanda, ut per Te RR. PP. Episcopis Metro-
" politanae Provinciae Tuae Suffraganeis communicentur.
" Quae vero superius significavi talia esse A. Tua quoque
" facile intelliget, ut iisdem diligenter servatis ista in re
" tantae gravitatis interea Religioni satis tranquillitati, ac
" juvenilis aetatis bono consultum esse concludendum sit."

Ma oltre alle scuole d'istruzione secondaria il governo inglese che vide frequentate queste anche dai cattolici, volle fare un passo ulteriore, ed istituire sullo stesso piede le scuole universitarie, o i Collegii misti per la istruzione scientifica della gioventù. La novella istituzione però fù giudicata ben diversa dalle scuole secondarie anche da molti degli stessi fautori di queste, perchè di maggior pericolo per la Religione. Ma non essendo unanime il sentimento del Clero, i Vescovi Irlandesi si rivolsero nuovamente alla S. Sede per consultarne l'oracolo, e per

ordine del Papa fù commessa parimenti la discussione dell' affare alla S. Congregazione di Propaganda, la quale lo prese in maturo esame in due generali adunanze tenute negli anni 1846 e 1847. La risoluzione della medesima approvata dal Sommo Pontefice Pio IX. fel. regn. venne manifestata ai Vescovi Irlandesi con la lettera che siegue de' 9 Ottobre 1847.

"Mirum fortasse videbitur quod Sacrae Congregationis "responsum de Collegiis academicis tamdiu dilatum fuerit: "verum et negotii ipsius de quo agitur gravitas, et rerum "pertractandarum copia effecerunt ut diuturnum tempus "effiueret antequam, documentis et rationibus pro utraque "sententia rite perpensis, judicium tuto edi posset. Illud "vero ante omnia significare debemus ne cogitasse quidem "S. C. aliquid minus rectum sibi proposuisse Antistites "illos, qui Collegiorum institutioni favere visi sunt; "diuturna siquidem experientia illorum probitatem com-"pertam habet eosdemque in eam fuisse mentem impulsos "existimat spe tantummodo majoris boni assequendi, "utque Religionis prosperitati in Hibernia consulerent.

"Attamen re mature, et quolibet sub respectu penitus "considerata, fructus hujusmodi ex ea Collegiorum erec-"tione S. C. haud sibi audet polliceri: grave imo peri-"culum fidei catholicae inde obventurum timet; uno verbo "Religioni institutionem hujusmodi detrimento existere "arbitratur.

"Monitos proinde voluit Archiepiscopos, et Episcopos "Hiberniae ne ullam in ejusdem executione partem "habeant: quemadmodum vero exoptasset ut antequam "ex iis nonnulli apud Gubernium agerent ad legis prae-"fata Collegia respicientis mitigationem, aliaque in eorun-"dem favorem obtinenda, Sedis Apostolicae sententiam "postulassent; ita pro summo obsequio quod erga eam-"dem Hiberniae Antistites jugiter prae se tulerunt, haud

"dubitat, quin iisdem ea quae in contrarium praestiterint "sint retractaturi. Haec vero omnia haud officiunt, quo- "minus si aliqui ex vobis nonnulla gravioris moment "ulterius notanda habeant, S. Congregationi libere pate- "faciant, ut de omnibus rite dijudicari valeat.

"Ceterum S. C. probe noscit quanti intersit adolescen- "tium, civilioris praesertim coetus, scientificae instructioni "consulere; proinde Amplitudinem Tuam, et Suffra- "ganeos simul Episcopos hortatur ut media omnia legi- "tima, quae in vestra sint potestate ad eamdem promo- "vendam adhibeatis. Curandum erit ut Collegia Catholica "quae jam constituta reperiantur, magis magisque floreant, "iis additis in philosophica praesertim facultate utilioribus "Cathedris, quae fortasse desiderentur, atque ita ea "Collegia disponantur ut majori adolescentium numero, "prout regionum adjuncta exigant, patere possint. Im- "primis vero opportunum S. C. fore duceret si collatis "viribus Catholicam Academiam ad illius instar, quae per "Belgii Antistites in Civitate Lovaniensi fundata est, in "Hibernia quoque erigendam Episcopi curarent.

"Haec vero omnia ut ex votis feliciter contingant S. C. "Episcopos hortatur quatenus mutuam unionem maxi- "mamque concordiam perpetuo servent: neque se partium "studio abripi sinant ob negotia quae sacrum ministerium "ipsis creditum haud attingant; cunctisque pateat Dei "cultum, Religionis bonum, animarum demum salutem "eosdem tantummodo quaerere.

"Haec vero eo majore studio vos praestituros, ar- "bitramur, cum eadem in omnibus SSm̃i D. N. Pii IX. "sententia extiterit: postquam enim accuratam de uni- "verso hoc negotio notitiam sibi comparasset; S. C. con- "silium probandum censuit, eique supremum auctoritatis "suae robur adjecit."

Ulteriori rappresentanze venute dai fautori del sistema

del governo inglese indussero la Propaganda ad esaminare nuovamente la cosa in una congregazione generale tenuta nel 1848, ove anche si esposero varii degli statuti sul sistema stesso d'insegnamento sanzionati dal governo, il quale in quel frattempo ne avea modificati alcuni per calmare i concepiti timori. Ma la S. Congregazione non ostanti le nuove rappresentanze fù dello stesso parere, e la mente, munita anche questa volta dalla pontificia conferma, venne communicata all' Episcopato Irlandese con la seguente lettera degli 11 Ottobre 1848.

"Excerpta nonnulla a Statutis, quae pro novis Hiber-"niae Collegiis rediguntur, ac suffragia super iisdem ab "Episcopis data occasionem S. C. praebuerunt, ut eo "potissimum sub respectu de praefatis Collegiis iterum "pertractaret, quidque pro spirituali bono catholicae gentis "Hibernensis esset rescribendum sedulo ac mature perpen-"deret. Licet vero praefata statuta ea sub forma consis-"tant, ut dijudicari non valeat quantae auctoritatis, "attenta Anglicani Regni constitutione, sint futura, omni-"bus tamen mature pensatis S. C. adduci non potuit ob "gravia, et intrinseca eorumdem Collegiorum pericula ad "emolliendam sententiam de illis prolatam, ac probante "SSm̃o Dño Nostro, quatuor Metropolitanis expositam "nonis Octobris anni superioris.

"Cum autem innotescat quanto studio Clerus, et in-"tegra Natio pro iis adlaborent, quae ad bonum Ecclesiae "promovendum referuntur, de Universitate Catholica eri-"genda Em̃i Patres haud desperandum censuerunt, immo "consilium hujusmodi iterum iterumque commendarunt, "ut in ejusdem executionem omnes pro viribus operam "suam conferant, sicque pleniori Catholicorum instruc-"tioni satis fiat, quin ullum exinde eorumdem religio de-"trimentum patiatur.

"Quam S. C. sententiam SSm̃us D. N. omni matu-

" ritate ac prudentia perpensam, auctoritatis Suae pondere " probandam, confirmandamque esse duxit, voluitque eam " quatuor Archiepiscopis remitti respectivis per eos suf- " fraganeis communicandam."

Tornò poi a parlarsi nel 1857 delle scuole secondarie o delle classi inferiori, sulle quali eransi già date istruzioni nella riportata lettera del 1841, e ciò nella congregazione generale di Propaganda de 9 Febbrajo di quell' anno, ove all' occasione dell' esame d'un Sinodo tenuto dall' Episcopato Irlandese nel 1856 si riferí un passo ulteriore fatto dal Consiglio detto d'Insegnamento nazionale per istabilire nelle città delle scuole più alte sotto l'esclusiva giurisdizione del Consiglio medesimo, il che veniva rappresentato dall' Arciv. di Dublino (Delegato Apostolico in quel Sinodo) come cosa piena di pericolo pel carattere protestante che presentavano coteste scuole, e per l'intento che attribuivasi al governo di pervertire i Cattolici. Quindi a forma della risoluzione della S. C. nella lettera, che si spedì all Arcivescovo sud. in data de 20 Febbrajo 1857 relativa al Sinodo, gli si aggiunse anche il seguente brano sulle scuole nazionali.

" Quae autem in actis continentur circa novas Scholas " a Consilio nationali sub exclusiva ipsius auctoritate in- " stituendas, ea Eñorum Patrum attentionem sibi pecu- " liariter vindicarunt. Cumque exinde adolescentium " fidei non mediocre immineat periculum, S. C. sane non " potest quin Episcoporum sollicitudinem caritatemque " ad oves sibi commissas tuendas excitet vehementer. " Porro Antistites Hibernenses nunc praesertim ante " oculos habeant necesse est quaecumque jam cauta ac " praescripta fuerunt a S. Sede Apostolica super instruc- " tione nationali, ut videlicet majori cura ac sedulitate " pervigilent quo animarum salus in gravius discrimen ex " novo systemate adducitur, utque opportunis monitis,

"concionibus, pastoralibus literis fidei puritas ab errorum "contagione praeservetur. Quod quidem facilius ut ob- "tineatur, atque efficacius A. Tuae, ac caeteris Hiberniae "Archiepiscopis etiam atque etiam commendat in Domino "S. C., ut quae ad eum finem conferre videantur, ea una- "nimiter, atque uniformi ratione, quantum fieri possit, "promoveantur."

II.

INSTRUCTIO

S. OFFICII DIEI 17 JAN. 1866, SUPER SCHOLIS MIXTIS.

Jampridem ad S. hanc Congregationem quaestio de Scholis mixtis quae . . . . perniciem rei Catholicae minitantur, delata est . . . propositis dubiis . . . . 1° An Sacerdoti liceat Scholarum, de quibus agitur, alumnis catholicis, sive intra earum septa, sive alio, uti in Ecclesiam ad id convocatis fidei Christianae documenta speciatim tradere, aut pro eis cappellani (aumônier) quovis munere fungi. 2° An parentibus liceat liberos suos hujusmodi scholis instituendos committere.

. . . . Quemadmodum in re gravissima oportuit, tum diligentem circa rei veritatem ac statum ab Episcopis notitiam conquiri, tum mature agitari conferrique consilia, Sacra Congregatio curavit, quibus rebus praemissis, de eadem denique dirimenda egit feria IV. die 17 Januarii hujus anni 1866.

Porro praecipuum et capitale dubium quod secundo loco proponebatur, visum est: An liceat parentibus liberos suos hujusmodi scholis instituendos committere—quo in

excutiendo vehementer Eñ̃os Patres commoverunt, tum intrinsecum rei periculum, tum ea quae ad eos ab ipsis Epis. relata sunt. Itaque omni ope curandum esse censuerunt, ut omnibus patribus familias persuadeatur, se nihil pejus de prole sua, de patria, de re catholica universa mereri posse, quam ut natos suos in extremam hanc aleam committant. Cum enim puerilis aetas pro sua ipsa ingenuitate ac simplicitate vafrorum hominum seductionibus, nisi diligenter custodiatur, tota patet, tum vero maxime si iis implicetur rerum adjunctis in quibus eam versari in ejusmodi scholis necesse est. Auctoritas quippe praeceptorum quae maxime in adolescentium animis valet, ad ea omnia approbanda quae in iis vident, ex iisve audiunt, naturali quadam vi eos rapit; quo fit, ut illorum erga religionem indifferentia, errores ipsi haereticales, catholicaeque religionis contemptus, venenato quodam alitu tenella pectora inficiat, extinctoque calore omni pietatis penitus corrumpat. Cui pesti haud minus lethifera accedit haereticorum contagio, quorum corrupti mores, indita ex sectario dogmate indocilitas quaeque pueriles animos vehementissime movet, in catholicam fidem atque ecclesiae precepta mordax dicacitas, si quid incorruptum aut firmum in ipsis manserit, labefactent ac perdant necesse est. Quae sane per se gravissima graviorem etiam in molem assurgere Em̃i Patres perspiciebant ea considerantes quae ab Epis. aperiebantur, eo consilio ejusmodi scholas institutas esse, ut catholica religio ex istis regionibus extirpetur; eo enim praefixo scopo nihil industriae, nihil fraudum, nihil adversarum virium praetermissum iri ad contraditam ipsis juventutem pervertendam nemo non videt.

Neque vero illud quispiam sibi persuadeat, immunes ab hac pernicie scholas illas fore, quae materiam a religione discretam atque profanam habent. Etenim praeter quod

eadem in illis ab haereticorum sive praeceptorum sive condiscipulorum vitae ratione ac familiaritate scandala impendent, novus profecto in humanis rebus sit oportet qui non sentiat etiam in ejusmodi scholis aditum haereticis magistris undequaque aperiri, ut puerilem simplicitatem opportune et importune, data et non data occasione circumveniat, et in laqueos inducat, cujus quo magis inquinatae atque occultae sunt artes, eo magis sunt ad perdendum efficaces. Itaque non tantum quae sacris sed etiam quae profanis disciplinis, non tantum quae metaphysicae, aut ethicae, sed etiam quae mathesi, aut physicae aut historiae, aut humanis litteris aut linguis aut artibus, quibusvis tradendis institutae sunt, periculi atque exitii plenas ejusmodi scholas esse nulla ratione est dubitandum.

Quae sane cum ita se habere apprime nossent Emi Patres, non illud tamen eos praeteribat, peculiaria quaedam rerum adjuncta id efficere posse, ut easdem adire aliquando cogat necessitas, ubi scilicet ea tyrannide opprimantur catholici, ut ad scholas proprias id est catholicas adeundas, nulla jam illis aut pateat via, aut suppetat facultas, ideoque in ea sint optione, ut vel necessaria domui suae studiorum subsidia deserant, publicumque ipsum regimen heterodoxis totum relinquant, aut scholas mixtas utut invitissimi subeant. At vero licet id Patribus persuaserit non posse absoluto atque indefinito judicio aditum ad scholas mixtas omnino improbari remque potius singulorum Eporum. prudenti arbitrio, religiosaeque conscientiae esse relinquendam, nihilominus, ne in re gravissima quisque sese decipiat, duo voluerunt serio moneri, quae cum agitur de subeunda occasione proxima peccandi quae necessaria sit, omnes monent theologi: primo ut videant Epi., ne fucata aut proprie talis non sit ea quae objicitur necessitas, secundo ut ab iis ad quorum

officium id spectat, remedia omnia studiose adhibeantur quae ad avertendum perversionis periculum efficacia sint. Et ad primum quod attinet, animadverterunt frustra quempiam necessitatem causari, si ad alias scholas, quae sint mere catholicae licet in extraneis regionibus sitae possint liberos suos sine notabili damno mittere; ad alterum vero quod pertinet, moneri voluerunt plurimum ad hanc rem conferre, planeque esse necessariam unanimem sinceramque concordiam sive laicorum cum clero, sive minoris cleri cum Epis., sive omnium inter se, ut dum Epi. sive conjuncti de opportunis adhibendis remediis in synodis provincialibus agunt, sive singuli gregem suum qua voce qua litteris pastoralibus instruunt et confirmant, a supremis vero reipublicae moderatoribus, sive per se sive gravibus interpositis viris, ut meliorem in dies rerum ordinem et conditiones aequiores impetrent constanter studioseque curant, dum clerus minor ac praesertim parochi in catechesibus ac praecipue in iis exponendis veritatibus sive fidei sive morum quae magis ab incredulis atque heterodoxis impetuntur, diligentem operam ponunt, expositamque tot periculis juventutem magis magisque qua frequente sacramentorum usu, qua pietate in B. Virginem communire student et ad religionem firmiter tenendam excitant, in omnibus vero justum ac vehemens desiderium ut ejusmodi religionis ac pietatis offendicula, cujusmodi certe scholae mixtae sunt, removeantur, prudenter quidem sed assidue alunt, dum singuli genitores, quive earum loco sunt liberis suis sollicite invigilant, ac vel ipse per se, vel si minus idonei ipsi sint, per alios de lectionibus auditis eos interrogant, libros iisdem traditos recognoscunt, et si quid noxium in illis deprehenderint antidota praebent, a familiaritate vero et consortio haereticorum discipulorum omnino arcent et prohibent, omnium simul hac ratione conjunctae ac consociatae vires facilius efficacius-

que adolescentium salutem tueantur omnemque pestem ab eorum animis avertant. Itaque ad dictum dubium: An liceat parentibus liberos suos hujuscemodi scholis instituendos committere—responderunt:—Generatim loquendo non licere, sed in casibus particularibus judicio et conscientiae Ordinarii id esse relinquendum, cujus tamen erit officii diligenter curare ut non modo a se et a parochis, verum etiam a singulis genitoribus opportuna remedia adhibeantur, quibus periculum perversionis ab alumnis removeatur, simulque inniti apud magistratus ac praesides, ne vis inferatur conscientiae catholicorum adhibendo libros qui religioni catholicae sint infensi, ac denique assidue et instanter monere et hortari omnes, atque eos praesertim, quibus facultas est, ut liberos suos in alias regiones mittant ubi catholice educentur.

Ex hisce autem quae de hoc dubio considerata sunt, facile ad alterum patuit responsio, quod primo loco hisce verbis proponebatur. An Sacerdoti liceat scholarum, de quibus agitur, alumnis catholicis sive intra earum septa, sive alio, ut in ecclesiam ad id convocatis fidei christianae documenta speciatim tradere aut pro eis cappellani (aumônier) quovis munere fungi. Ex quo enim constat gravissima ac plane extrema juventuti catholicae in ejusmodi scholis versanti instare pericula, neque profecto cuipiam dubitare licet in extremo gregis periculo teneri vi muneris proprii Episcopos, in subsidium accurrere et sacerdotes ab eo evocatos ac praesertim parochos omni studio opem suam, conferre, cui tandem veniat in mentem infelices illos adolescentulos in mortis faucibus haerentes negligi aut deseri posse? Qui sane, si culpa propria eo devenissent, eripiendi tamen essent; nunc autem cum non sua sed aliorum culpa eo fuerint perducti, quanto magis aequum est, ut sacerdotali cura suscipiantur? Neque vero quidquam movit Eños Patres aut objecta desperatio

fructus, aut concepta spes ex desertione eorum qui eas scholas adeunt ceteros ab iis deterrendi, aut formidata scandali species, ne si populus videat docendi munus in eisdem scholis a sacerdotibus suscipi, eas ab Ecclesia approbari, liciteque ac libere adiri posse existimet. Cum enim agatur de obligatione quae officio sacerdotali inest, palam est non in ea exequenda scandalum timendum esse (quod sane pharisaicum foret) sed potius in eadem negligenda neque bonum quodvis (pro quo obtinendo facienda mala non sunt) ex ejus violatione esse quaerendum; neque denique ob desperationem fructus quem divinae bonitati committere decet deseri illum debere. Quicumque enim speculatores domus Israel dati sunt, retinere non sine metu in auribus debent quae Dominus per Ezechielem monuit, nimirum: si loquuti ipsi non fuerint, ut se custodiat impius a via sua, fore ut impius in iniquitate sua moriatur; at simul sanguis ejus de manu eorum requiratur; quod si curantibus illis impii salutem, nullus ex eorum labore fructus succedat, impium quidem in iniquitate sua periturum, sed illos animam suam omnino liberasse.

Itaque praedicto dubio:—An liceat Sacerdoti in praedictis scholis fidei christianae documenta tradere, aut cappellani munere fungi, respondendum censuerunt: Affirmative, et ad mentem; mens est, ut non modo fidei Christianae tradendae, verum etiam aliarum disciplinarum scholis quotquot fieri potest praefici sacerdotes, aut honestos perspectaeque religionis laicos curandum sit, quo vero omnis cesset scandali formido, monendum esse populum, id fieri ut mala quae ex hujusmodi scholis dimanant, quantum fieri potest avertantur; idque proinde nemini excusationi esse debere, quominus liberos suos mittant ad scholas mere catholicas in quibus eorum fides ac mores nullo modo periclitentur.

APPENDIX XXIV.

[*Ad. pag.* 144, *De libris pravis.*]

EPISTOLA S. INDICIS CONGREGATIONIS DE LIBRIS PRAVIS.

I.

Illustrissime ac Reverendissime Domine.

Inter multiplices calamitates, quibus Ecclesia Dei luctuosis hisce temporibus undique premitur, recensenda profecto est pravorum librorum colluvies universum pene orbem inundans, qua per nefarios ac perditos homines divina Christi Religio, quae ab omnibus in honore est habenda, despicitur, boni mores incautae praesertim juventutis penitus labefactantur, et socialis quoque consuetudinis jura et ordo sus deque vertitur, et omnimodo perturbatur. Neque ut vetus ipsorum mos erat, id praestare tantum nituntur libris magno apparatu scientiae elaboratis, sed et parvis, qui minimi veneunt libellis, et per publicas atque ad hoc confectas ephemerides, ut non litteratis modo et scientibus virus illud insinuent, sed rudioris cujusque et infimi populi fidem simplicitatemque corrumpant.

Qui autem super gregem Christi vigilias agunt legitimi Pastores, ut hanc perniciem a populis sibi commissis avertant ad Sacram Indicis Congregationem quoscumque ex iis libris de more deferunt zelo adlaborantes, ut Romanae Sedis habito judicio et proscriptione a vetita lectione talium librorum fideles deterreant. Neque iis difficilem se praebuit et praebet S. Congregatio, quae

quotidianam operam studiumque impendit, ut officio sibi a Romanis Pontificibus demandato satisfaciat. Quia tamen ex toto Christiano Orbe increbrescentibus denuntiationibus praegravatur, non id praestare perpetuo valet ut promptum et expeditum super quavis causa ferat judicium: ex quo fit, ut aliquando serotina nimis sit provisio et inefficax remedium, cum jam ex lectione istorum librorum enormia damna processere.

Ad hoc incommodum avertendum non semel Romani Pontifices prospexerunt, et ut aliarum aetatum exempla taceamus, aevo nostro per sa. me. Leonem XII. mandatum editum est, sub die 26 Martii 1825, ad calcem Regularum Indicis insertum et hisce litteris adjunctum, vi cujus Ordinariis locorum praecipitur, ut libros omnes noxios in sua dioecesi editos, vel diffusos propria auctoritate proscribere, et e manibus fidelium avellere studeant.

Cum autem hujus Apostolici Mandati provida constitutio praesentibus fidelium necessitatibus, et tuendae doctrinae morumque incolumitati optime respondeat, SSm̃o Dñ̃o Nostro Pio Papae IX. placuit ejus memoriam esse recolendam, tenorem iterum vulgandum, et ab Ordinariis locorum observantiam exigendam, quod excitatoriis hisce nostris litteris, nomine et auctoritate Apostolicae Sedis sollicite praestamus. Queis si debita obedientia respondeat [sicuti pro certo habemus], gravissima mala removebuntur in iis praesertim dioecesibus, in quibus promptae coercitionis urgeat necessitas. Ne vero quis praetextu defectus jurisdictionis, aut alio quaesito colore Ordinariorum sententias et proscriptiones ausu temerario spernere, vel pro non latis habere praesumat, Eis Sanctitas Sua concessit, sicut Nomine et Auctoritate Ejus praesentibus conceditur, ut in hac re, etiam tamquam Apostolicae Sedis Delegati, contrariis quibuscumque non obstantibus, procedant.

Ad Apostolicum autem judicium ea deferantur opera

vel scripta, quae profundius examen exigant, vel in quibus ad salutarem effectum consequendum Supremae Auctoritatis sententia requiratur.

Interim Tibi Illm̃e et Rm̃e Domine copiosa divinorum charismatum incrementa ex animo precamur, et ad pergrata quaeque officia nos paratissimos exhibemus.

Datum Romae die 24 Augusti 1864.

Amplitudinis Tuae
Addictissimus
Ludovicus Cardinalis De Alteriis,
S. Indicis Congregationis Praefectus.

LOC. ✠ SIG.

Fr. Angelus Vincentius Modena, Ord. Praed.
Sacrae Indicis Congr. a Secretis.

II.

MANDATUM

S. M. Leonis XII. additum Decreto Sac. Congreg. Indicis, die Sabbati XXVI. *Martii* 1825.

Sanctitas Sua mandavit in memoriam revocanda esse universis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque in Ecclesiarum regimen praepositis ea quae in Regulis Indicis Sacrosanctae Synodi Tridentinae jussu editis, atque in observationibus, instructione, additione, et Generalibus Decretis Summorum Pontificum Clementis VIII., Alexandri VII., et Benedicti XIV., auctoritate ad pravos libros proscribendos abolendosque Indici Librorum Prohibitorum praeposita sunt, ut nimirum, quia prorsus impossibile est, libros omnes noxios incessanter prodeuntes in Indicem referre, propria auctoritate illos e manibus Fidelium

evellere studeant, ac per Eos ipsimet fideles edoceantur quod pabuli genus sibi salutare, quod noxium ac mortiferum ducere debeant, ne ulla in eo suscipiendo capiantur specie ac pervertantur illecebra.

III.

MONITUM

Sac. Congreg. editum Feria III. die IV. Martii 1828.

Sacra Congregatio in mentem revocat omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Ordinariis, et Inquisitoribus locorum id quod praescribitur in Regula, inter editas jussu s. Concilii Tridentini N. II. his verbis: *Haereticorum libri, qui de Religione ex professo tractant, omnino damnantur:* Et ea quae mandavit sa. me. Clemens VIII. in instructione de prohibendis Libris, sequentibus verbis § VI. *In universum autem de malis et perniciosis Libris id declaratur atque statuitur, ut qui certa aliqua lingua initio editi, et deinde prohibiti ac damnati a Sede Apostolica sunt, iidem quoque, in quamcumque postea vertantur linguam, censeantur ab eadem Sede ubique gentium, sub eisdem poenis interdicti et damnati.*

IV.

MONITUM

Sac. Congr. editum Fer. V. die VII Januarii 1836.

Cum ad S. Congregationem certo relatum fuerit, sacratissimos Bibliorum Libros vulgari sermone nonnullis in locis

typis edi, quin saluberrimae de ea re leges serventur, cumque inde pertimescendum sit, ne, quae hominum nequam hisce praesertim temporibus conspiratio est, errores sanctiore divini Eloquii apparatu obvoluti perperam insinuentur censuit eadem S. Congregatio, revocanda iterum esse in omnium memoriam, quae alias decreta sunt, vernaculas nimirum Bibliorum versiones non esse permittendas, *nisi quae fuerint ab Apostolica Sede adprobatae, aut editae cum adnotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiae Patribus vel ex doctis Catholicisque viris* (ex decr. S. Congreg. Ind. 15 Jun. 1757, in addit. ad Reg. Ind.): iis praeterea omnino insistendum, quae per Regulam quartam Indicis, et deinceps ex mandato sa. me. Clementis VIII, in eam causam praestituta fuerunt.

APPENDIX XXV.

[*Ad. pag.* 13.]

LITTERAE S. CONG. DE PROPAGANDA FIDE SUPER MORIENTIUM ASSISTENTIA.

. . . Quanto al primo punto mi si assicura esservi l'uso in diverse diocesi che il sacerdote (quasi sempre il vicario) si rechi presso l'infermo gravamente ammalato onde amministrargli l'un dopo l'altro i sagramenti della Penitenza, Eucaristia ed Estrema Unzione; ma che ciò fatto, più non ritorna a veder l'ammalato se non quando è chiamato

espressamente, così che gl'infermi rare volte hanno il conforto di essere assistiti in morte dal sacerdote. Io non disconosco che in certi luoghi ed in certi casi ciò può accadere per necessità, atteso lo scarso numero dei preti e la moltitudine degl'infermi che talvolta si trovano simultaneamente vicini a morte. Ma che questo metodo abbia ad essere abitualmente in uso in certe diocesi, come mi viene assicurato è cosa aliena dallo spirito della chiesa e dalla pratica inculcata dal rituale Romano e confermata dalla S. C. del concilio allorchè ai 14 d'Aprile 1821 le fu proposto il sequente dubbio dal vescovo di Bagnorea:—An et quomodo teneatur Canonicus Curatus aegrotos ruricolas visitare iisque assistentiam praebere dum morti proximi reperiuntur? La risposta infatti della S. C. fu affirmative ad formam Ritualis Romani, et Episcopus curet providere paroeciae Capellanum Curatum ne ruricolae vel civitatis incolae spirituali assistentia careant. . . . Interesso pertanto V. S. a tener proposito coi vescovi in nome della S. C. dei due inconvenienti sudetti, e quindi ad informarmi si dell' estensione ed intensità di essi, si ancora dei mezzi che i Prelati nella loro saviezza crederanno doversi adottare per opporre a tali mali il necessario rimedio.

RESPONSA S. CONG. S. ROMANAE ET UNIVERSALIS INQUISITIONIS AD POSTULATA SYNODI MANUTIANAE.

In Congregatione Generali S. Romanae et Universalis Inquisitionis habita coram Emis. ac Rmis. S. Romanae Ecclesiae Cardinalibus contra haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus examinata fuerunt sequentia postulata :—

POSTULATUM PRIMUM.

Eme. et Rme. Domine.

In Synodo Plenaria Hiberniae nuper habita actum est de quaestione, quis sit parochus proprius contrahentium matrimonium, cuius praesentia ad evitandum impedimentum clandestinitatis necessario requiritur.

Omnes convenerunt parochum proprium contrahentium illum esse in cuius paroecia ipsi domicilium permanens habent vel quasi domicilium, cum scilicet actu residentes per maiorem anni partem residere statuerint.

Nonnulli tamen insuper existimaverunt proprium parochum contrahentium etiam illum habendum esse, in cuius paroecia per integrum mensem aut triginta dies ipsi resederunt licet diutius ibi remanendi animum non habuerint, et revera statim post initum matrimonium proficiscuntur. Hanc sententiam tuetur Carrière in opere de Matrimonio, eamque Patres quorumdam Conciliorum provincialium Galliarum quae a S. Sede approbata sunt amplectuntur. Exempli gratia in Synodo provinciae Auscitanae habita an. 1857 haec habentur :

"Matrimonium celebrari potest coram Parocho sive domicilii, sive quasi domicilii seu simplicis habitationis, modo ista per mensem integrum perseveraverit."—(Dec. Conc. prov. Auscitanae a. 1857 tit. III. Cap. I. §. 7. n. CV., Collectio Lacensis tom. IV. p. 1191). Et iterum in Conc. prov. Bituricensi habito a. 1850 haec habentur :—

"Proprius Parochus quoad matrimonium, est 1. Parochus domicilii; 2. Parochus quasi domicilii; a prima die qua quis in paroecia domicilium vel quasi domicilium suum aliquo facto sensibili manifestatum constituit, statim ad illius matrimonium procedere potest Parochus; 3. Parochus simplicis habitationis dummodo contrahens unum saltem mensem in paroecia commoratus fuerit; 4. Proprius Parochus minorum est insuper Parochus domicilii parentum aut eorum quorum subsunt potestati." (Decreta Conc. prov. Bituricensis a. 1850 tit. V. decr. de Matrimonio, Collectio Lacensis tom. IV. pag. 1119).

In huiusmodi varietate sententiarum Episcopi Hiberniae nihil statuendum inconsulta S. Sede determinarunt. Humiliter tamen rogant ut, si fieri possit, S. Congregatio statuat, an tuto teneri et ad praxim deduci possit sententia eorum qui dicunt unius mensis residentiam in paroecia aliqua sufficere ut coram parocho illius loci matrimonium valide contrahi possit.

Pro aliis Archiepiscopis et Episcopis Hiberniae
✠ Paulus Card. Cullen, Praeses Synodi.

Emo et Rmo Dno.
Alexandro Card. Franchi,
Praefecto S. Cong. de Prop. Fide.

POSTULATUM TERTIUM.

Eme et Rme. Dne.

In Synodo Manutiana nuper habita dubium ortum est circa extensionem facultatum quae Episcopis conceduntur in formula sexta. Dicitur enim in illa formula facultates in ea concessas exerceri non posse ab Episcopis *extra fines suarum dioecesium.* Ut dubium hoc tollatur Episcopi in Synodo congregati statuerunt veram interpretationem illius clausuli a Sacra Congregatione petendam esse. Quapropter rogant

Eminentiam Vestram ut mentem Sacrae Congregationis hac de re Episcopis Hiberniae benigne manifestes.

✠ Paulus Card. Cullen, Arch. Dublinensis,
Praeses Synodi ut deleg. Apost.

Emo et Rmo Dno.
Alexandro Card. Franchi.
Praefecto S. Cong, de Prop. Fide.

Postulatum Quartum.

Episcopi Hiberniae in Synodo Manutiana nuper congregati cum animadverterent, propter peculiaria huius regionis adiuncta, legem ieiunii nunc in Hibernia vigentem observatu difficilem esse, statuerunt sequentes dispensationes a Sancta Sede petere.

1. Diebus ieiunii non licet sumere lacticinia in refectiuncula matutina. Hoc maxime incommodum est ob defectum olei quod in aliis regionibus lacticiniorum locum supplet. Quapropter Episcopi petunt ut diebus ieiunii in refectiuncula matutina lacticinia (butyrum, lac, caseum), prout in Galliis et Anglia fit, permittantur.
2. Cum dies ieiunii occurrat Feria VI[a] mos est abstinere ab esu ovorum. Quoniam vero in locis ruralibus piscis nonnisi difficillime obtineri potest, Episcopi petunt ut cum dies ieiunii occurrat Feria VI[a] liceat in comestione ova sumere, excepta feria VI[a] maioris hebdomadae.
3. Tempore Adventus Feria VI[a] et Sabbatum sunt dies ieiunii. Iamvero minus molestum esset et huic regioni magis accommodatum si loco Sabbati Feria IV[a] fieret dies ieiunii: quapropter Episcopi petunt ut ieiunium Sabbati tempore Adventus transferatur in Feriam IV[am].
4. Denique Episcopi petunt ut diebus ieiunii, exceptis solemnioribus, usus laridi tanquam condimenti permittatur.

✠ Paulus Card. Cullen, Archiep. Dubl.
Praeses Synodi ut Deleg. Apost.

FERIA VI. DIE 2. MAII 1877.

Emi. ac Rmi. DD. ad primum Postulatum decreverunt:—

"Respondeatur Parochum proprium habendum esse Parochum domicilii vel quasi domicilii contrahentium. Ad dignoscendum vero quasi domicilium, attendendam esse regulam traditam in instructione Feriae iv. diei 7 Junii, 1867, Episcopis Hiberniae transmittendam."—(Vide Summ. No. 1.)

AD TERTIUM.

"Verba relatae formulae ita esse intelligenda, ut Episcopus uti possit facultatibus erga suos subditos, qui actu quo dispensandi sunt in propria Diocesi commorantur: quamvis ipse Episcopus extra suam Dioecesim degat."

AD QUARTUM.

1. Quoad usum butyri, casei et lactis in refectiuncula respondeatur prout responsum fuit Episcopis Angliae in Feria iv. 9 Maii. 1860, nempe—non expedire—et ad mentem—La mente è che non è stato mai consentito dalla santa sede che s' introduca l' uso del latte e burro, e molto meno del formaggio nella refezione della sera in giorno di digiuno: e solo in alcuni luoghi ove fosse da lungo tempo introdotta la consuetudine, essersi qualche rarissima volta risposto—Fideles non esse inquietandos—Intanto per ciò che spetta ai veri poveri, i vescovi ben sanno come debbono regolarsi in proposito.

2. Quoad usum ovorum diebus jejunii occurrentibus Feria vi. supplicandum SS^{mo} pro gratia, exceptis tamen praeter Feriam vi. majoris hebdomadae, vigiliis Nativitatis D. N. J. C., Assumptionis B. M. Virginis, Apostolorum Petri et Pauli ac omnium sanctorum, quando incidunt in dicta Feria.

3. Quoad translationem jejunii sabati Adventus in Feriam iv. supplicandum SS^mo pro gratia juxta petita.
4. Quoad usum lardi et sagiminis supplicandum SS^mo pro extensione indulti dati die 20 Februarii, 1853, Emo. Archiepiscopo Dublinensi, ad omnes Hiberniae Dioeceses.

EADEM DIE AC FERIA.

SS^mus audita relatione ut supra benigne annuit pro gratia juxta DD. Emorum. suffragia.

Summ. No. 1.

INSTRUCTIO.

Pro Episcopis Angliae et Statuum Foederatorum Americae Feriae iv. diei 7. Junii, 1867.

Ad constituendum quasi domicilium quod in hisce casibus necessario adipiscendum est, duo simul requiruntur: habitatio nempe in eo loco ubi matrimonium contrahitur, atque animus ibidem permanendi per majorem anni partem: quapropter si legitime constet vel ambos vel alterutrum ex sponsis animum habere permanendi per majorem anni partem, ex eo primum die quo duo haec simul concurrunt, nimirum et hujusmodi animus et actualis habitatio, judicandum est quasi domicilium acquisitum fuisse, et matrimonium quod proinde contrahatur esse validum. Verumtamen si de praedicto animo non constet, ad indicia recurrendum est quae praesto sint, quaeque moralem certitudinem pariant. In re autem occulta et interna difficile est hujusmodi indicia habere, quae judicem securum faciant: inde est quod adhiberi maxime debet regula a Summo Pontifice Benedicto xiv. confirmata, ut inspiciatur utrum ante matrimonium, spatio saltem unius mensis vel ambo vel alteruter in matrimonii loco habitaverint. Quod si factum fuisse deprehendatur, censendum est ex prae-

sumptione juris intentionem permanendi per majorem anni partem extitisse, et domicilium fuisse acquisitum proindeque matrimonium esse validum. At si praesumptio haec juris, quae ex menstrua habitatione oritur, contrariis elidatur probationibus, quibus certo ac liquido constet praedictum animum nullo pacto extitisse, tunc profecto contrarium proferri debere judicium manifestum est, quia praesumptio cedere debet veritati. Praeterea manifestum quoque est actualem habitationem ineptam esse ad quasi domicilium pariendum, si quis in ea regione more vagi ac itinerantis commoretur, non autem vere proprieque habitantis, quemadmodum scilicet coeteri solent, qui in eodem loco verum proprieque dictum domicilium habent.

INDEX

ALPHABETICUS ET ANALYTICUS

RERUM PRAECIPUARUM QUAE IN HOC LIBRO CONTINENTUR.

(Numerus indicat paginam.)

Sacerdos in domo sua familias affinium aut consanguineorum, 95. Cum in eadem domo habitent Parochus et Vicarii, consanguineae vel affines juniores Parochi in ea non sunt retinendae nisi permittente Ordinario, 95. In domo conducta aut privata non resideat Sacerdos sine Episcopi consensu, 95.

2. *Habitus et incessus.*—Clericorum vestitus nec sordes nec luxum sapiat, 94; sit semper nigri vel subnigri coloris, 94. Clerici omnes Collare Romanum deferant etiam extra propriam dioecesim, 94.

3. *Scientia, Studium.*—Vacent sacerdotes studio et meditationi sacrarum litterarum praecipue S. Scripturae et Theologiae Moralis, 96. Collationes theologicae habeantur saltem quater singulis annis, 97. Lectioni attendant sacerdotes, et supellectilem librorum ecclesiasticorum sibi comparent; saltem Sacra Biblia, unum integrum Theologiae cursum, canones Conc. Trid. Catechismum Romanum et vitas Sanctorum habeant, 97. Abstineant a libris romanticis et ab eis quibus religio ludibrio vertitur, 97. Nisi aliunde de eorum dotibus constet examini subjiciendi sunt omnes clerici ordinationem petentes et omnes sacerdotes antequam pro confessionibus excipiendis approbentur, 104.

4. *Officia erga gregem.*—Officia circa Baptismum, 74; circa Confirmationem, 77; circa Eucharistiam, 78; circa Poenitentiam, 82; circa Extremam Unctionem, 89; circa Matrimonium, 90. Sacerdotes non possunt a parocho vocari ex aliena dioecesi ad praedicandum sine venia Ordinarii, 100. Non possunt praedicare contradicente Episcopo, 100; impediant saltationes modestiae Christianae repugnantes (*fast-dances*), 114; tenentur mysteria Fidei, Sacramenta, Dei praecepta fideli populo diebus festivis exponere, 120; cum agitur de eligendis curatoribus pauperum et Parliamenti membris soliciti esse debent ut probis hominibus munera haec conferantur, 121; libros pravos a fidelibus procul arceant, 145; moneant illos qui hos libros vendunt quantum ipsis flagitium sit fidem et bonos mores quaestui habere, 145.

5. *Officia circa Educationem.* Vide Educatio.

6. *Vagi.* Episcopi singuli in suis dioecesibus interdicant ne cui vago et ignoto sacerdoti missas celebrare liceat, 104. Nullus clericus peregrinus sine commendatitiis sui Ordinarii litteris ab ullo Episcopo ad divina celebranda admittatur, 105. Parochi, Vicarii et regularium vel monialium ecclesiarum Rectores non admittant vagos, et nulli dioecesi addictos aut ignotos sacerdotes ad sacra peragenda, 105. Omnis sacerdos antequam ad celebrandum admittatur, tenetur litteras proprii Ordinarii exhibere, 105.

7. *Vitanda.* Quaecunque dedecent illos qui pro Christo legatione funguntur, 93; convivia saecularium frequentiora praesertim intempestiva, 93; vitia intemperantiae et ebrietatis; hinc a potu inebrianti saepe praesertim sumpto abstineant, hospitia et cauponas non ingrediantur, ebrietatis praesertim publicae reus graviter puniendus, 93; choreae et saltationes, 93; publici equorum cursus, venatio clamorosa, theatrorum publicorum

---

DUBLINI: TYPIS BROWNE ET NOLAN.